IUS HAEREDITARIUM & LEGITIMA SUCCESSIO IN REGNO BOHEMIAE, FERDINANDI 2...

Pedro Ximenez



IVS HAEREDITARIUM & legitima Succeſſio in Regno Bohemiæ,

FERDINANDI II. AVSTRIACI,

NVNC IMPERATORIS Auguſti, & Hungariæ, Bohemiæq; Regis potentiſſimi, atq; Invictiſſimi.



VIENNÆ AVSTRIÆ,
Apud Gregorium Gelbhaar, in Burſa Agni.
ANNO M. DC. XX.

ISAIÆ, XLI.

NE timeas, quia ego tecum ſum: ne declines: quia ego DEVS tuus: confortavi te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepit te dextera Iuſti mei. Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te: erunt quaſi non ſint, & peribunt Viri, qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non invenies, Viros rebelles tuos: erunt quaſi non ſint: & veluti conſumptio homines bellantes adverſum te. Quia ego Dominus DEVS tuus, apprehendens manum tuam, dicenſq; tibi: Ne timeas, ego adjuvi te.

LECTORI CANDIDO, & veritatis amanti.

IVS FERDINANDI II. hæreditarium in Bohemiæ Regnum, & legitima Succeſſio, non opus habent defenſione; quando toti Romano Imperio probata ſunt: quo factum eſt, vt cum ante plures menſes prodijſſet infælix quidam partus Cauſarum, ob quas Factio Bohemica præſumpſiſſet, legitimum ſuum Regem, jam juratum, & coronatum à toto Regno, per ſummam injuriam atq; audaciam abdicare, alio quopiam inaniter ſubrogato, res viſa non ſit refutatione digna: præſertim quòd ſcateret convitijs, & calumnijs futilibus, quas Regis innocentiſſimi nota virtus per ſe ipſam manifeſtè redargueret, & auctori ſuo fidem abrogaret. At poſtquam Suppoſititius ipſe, in ſua informatione ſeu declaratione nuper evulgata, non dubitat, cauſæ juſtitiam ad ſatyricum illud ſcriptum revocare, indeq; ſubſidium petere: obſequendum fuit ſapientis conſilio, atq; reſpondendum calumniatori, ne ſibi ſapiens videatur. Tribus deformis capitibus fætus ille editus, atq; in publico expoſitus fuit. Unum, carebat oculis ab inſcitia Iuris: alterum,

in facti veritate nutabat: tertium erat sine fronte in calumniando.

Nam prima causa abdicationis petita est à Iure liberæ electionis, quam inscitè sibi arrogant factiosi: Secunda obloquitur Comitiorum Regni integritati, In quibus FERDINNADVS publicè susceptus est: deniq; tertia comminiscitur, perjurum esse FERDINANDVM, Regniq; hostem; ac proinde nec Regem esse posse. Tu modo mentem adhibe lector: & quamvis inimicus, veritati à nobis lucidissimè demonstratæ, facile acquiesces, facinusq; detestabere.

PRIMA

PRIMA CAUSA

Juratum Regem abdicandi.

QUOD NUNQUAM legitimè ex more & consuetudine prisca atq; præscripto privilegiorum, in Regem Boëmiæ sit electus: quin nec ipse eligi; sed suscipi tantum, & coronari voluit: idq; cur fecerit, ex declaratione hujus primæ, & tertiæ causæ liquidiùs apparebit. Hæc ibi ad verbum.

RESPONSIO.

QUAMVIS Ius hæreditarium FERDINANDI anceps foret, & Bohemi hactenus videri potuissent aliquod habere liberæ electionis: nunc certè postquam Regnum vniversum FERDINANDO cessit, & tanquam legitimum hæredem, ex debito, non ex arbitrio, eum suscepit: frustra disceptationem de jure electivo instaurat pars aliqua Bohemorum, non ipsum Regnum: imò & Regnum ipsum frustra nunc contenderet, postquam semel hæreditarium Ius agnouit, seq; eo nomi-

ne ſubjecit Sereniſſimo FERDINANDO. Verùm vrgere iſtud non eſt opus, quando Ius conſtat liquidiſſimum atq; certiſſimum: quod ex triplici capite evidentiſſimè demonſtramus. Ex privilegijs ipſis Regni, quæ ab adverſarijs proferuntur; ex vſu & conſuetudine perpetua, quæ ab ijſdem jactatur; poſtremò ex Regni conſtitutionibus legibuſq; authenticis, quas illi ſupprimunt.

PRIMA CONFIRMATIO hæreditariæ Succeſſionis ex Regni Privilegijs.

EXAMINATVR PRIVILEgium Friderici II. à Carolo IV. confirmatum.

DE HOC ITA PRONVNTIANT vindices Iuris Electivi. *Sunt tria aurearum Bullarum Cæſaris* FRIDERICI *autographa præ manu, quarum prior eſt data Anno* 1212. *Secunda* 1216. *Tertia* 1221. (*pro* 1231.) *quibus Electos à Statibus Reges confirmat; & clarè pronuntiat: Status Regni hujus, jus & poteſtatem Regis pro libitu elegendi habere; quiq; ab ipſis Rex electus fuerit, regalia à ſe & futuris Cæſaribus Romanis poſcere & ſuſcipere debere. His adſtipulantur aliæ etiam Aureæ Bullæ Imperatoris* CAROLI IV. *datæ Anno* 1370. *quibus præcedentia privilegia Cæſaris* FRIDERICI *confirman-*

firmantur; nec non prolixius declaratur, Boëmos Jus liberè eligendi Regem habere. Hæc illi.

Sanè CAROLVS IV. prolixiùs rem declarat, quàm ipsi voluissent: quare infra multis conantur declarationem CAROLI eludere: sed frustrà. Quod attinet ad FRIDERICI Diplomata, ex ijs primum, quod Anno Millesimo ducentesimo duodecimo datum est: à Carolo IV. ad verbum in suo Diplomate insertum est & confirmatum. Cæterum ibi Fridericus Othocari (alias Præmislai) Regis merita postquam commendasset, & illud nominatim, quòd inter alios Principes specialiter, præ cæteris in Imperatorem ipsum elegisset, ista subjungit: *Sicut dilectus Patruus noster piæ memoriæ Rex Philippus, omnium Principum habito consilio, per suum Privilegium instituit, Ipsum Regem constituimus & confirmamus, & tam Sanctam, & dignam constitutionem approbamus; Regnumq́ Boëmiæ liberaliter, & absq́ omni pecuniæ exactione, & consueta Curiæ nostræ Iustitia sibi, suisq́ Successoribus in perpetuum concedimus: volentes, vt quicunq́ ab ipsis in Regem electus fuerit: ad nos & Successores nostros accedat, Regalia debito modo recepturus.* Hæc Friderici sunt verba quibus quid, quantumq; largiatur vel Othocaro Regi, vel Regno, ex adjunctis circumstantijs dijudicandum est. Ac in primis, privilegium hoc in gratiam Othocari datum est, vt ex verbis ipsius privilegij perspicuum est; ac proinde Cæsar nequicquam voluit Posteritati Othocari præjudicium aliquod creare, sed ornamenti plurimum afferre. Fuisset autem valde præjudicatum: si propterea Othocarus successionis jure privatus fuisset; qui providè in ejusmodi privilegium neutiquam consensisset, sed respuisset potius illud omni studio, atq; conatu. igitur existimavit: nihil sibi, aut posterorum dignitati derogare. Deinde istud minimè agebatur, nec cogitabatur quidem, vt vetus forma Principatus, quoad Successores substituendi modum, immutaretur: Sed vt minus ab Imperatore dependeret, quàm hactenus, Regum inauguratio.

Nam

Nam vsq; ad illud tempus, tametsi Principes Boëmiæ hæreditario sibi jure succederent, Regiam tamē dignitatem non proinde successione adibant. Pauci enim, & per intervalla, extraordinario Imperatorum beneficio, Regia sunt corona donati. at deinceps omnes, eò quòd principatum adibant, inter Reges numerati sunt: modò ab Imperatore Regalia, quæ vocant, tanquam Feudatarij acciperent. Istud igitur, quod maximum est, Fridericus liberaliter concedit, vt qui Boëmiam jurè obtinet, eo ipso Rex habeatur, & sit. Utrum autem successionis jure, an electionis arbitrio obtinere Provinciam debeat, non laborat: sed rem in statu pristino relinquit. Quòd autem dicit in Diplomate: *Volentes, vt quicunq; in Regem ab ipsis electus fuerit, ad nos & Successores nostros accedat, Regalia debito modo suscepturus.* per illa verba non præscribit liberam electionis formam; sed electionē vocat, quamcumq; legitimam adeundi Regni rationem, juxta jura, consuetudinesq; antea receptas. Quorsum enim, neq; rogatus, neq; re ipsa postulante, negotium hoc sponte susciperet, præscribendi illis modum Reges subrogandi, ab eo diversum, quem hactenus observassent? relinquit ergo rem, quoad hoc, in statu suo: tantum decernit, vt eo ipso, quod quispiam sit jure Princeps Bohemiæ, sit quoq; Rex: quod hactenus nunquam habuerunt. Adde, quòd hæreditarij quoq; Principes recipi à Provincijs solent, cum in possessionem inducuntur: quæ receptio, abusivè Electio dici potest. Vult igitur Fridericus, vt qui Regalia ab Imperatore suscepturus est, à regno prius sive Electus, sive Receptus sit, eo, qui juris est, modo. Et tandem per ea verba (vt plurimum detur) significari potest privilegium, cujus meminit in Aurea Bulla Carolus. vt deficiente Regia prole (vbi alioqui Regnum tanquam Feudum ad Imperatorem recideret, & conferri posset alteri cuicunque, pro libitu Imperatoris) nihilominus penes Regni Ordines sit, substituere Successorem: neq; ad Imperatorem devenisse censeatur.

tur. Quod profectò maximum beneficium est. Cum igitur in reliquis Imperij Principatibus, extinctâ Principum prosapiâ, jus omne cedat Imperatori, & hujus sit electio successoris: indulgetur Inclyto Bohemiæ Regno, vt deficiente quamvis Regio sanguine, substituere sibi possit aliunde, qui idoneus sit; ac eum Cæsar confirmare debeat: quando nihil obstet singulare, cur meritò repudietur. Hæc verè magna sunt, ac præclara privilegia, perpetuum jus Regni accipere, & cum feudatarium sit, feudi servitute eximi, neq; ad vnam certam familiam esse coarctatum, sed ad quamlibet extendi, quam, vnâ aliquâ extinctâ, substituere Statibus Regni visum, collibitumq; fuerit. Atq; hæc est sententia celebrati privilegij, & hoc est jus liberæ Electionis, quo gloriari Status debeant. Sed quid multis opus est? Ipse semet apertè explicat Fridericus; quando alia quoq; adijciens Regi privilegia, infra subjungit: *De nostra autem liberalitatis munificentia statuimus, quòd Illustris Rex prædictus* (*Othocarus*) *vel hæredes sui ad nullam Curiam nostrorum venire teneantur &c.* Quid clarius? *Et hæredes sui.* Nota bene. Si hæredes habet Regalium privilegiorum, ergo & Regni. Nam si hæredes Regni non erant, quorsum ait, vt nec ipse, nec hæredes teneantur Curiam adire Cæsaris? nam adire, non nisi respectu Officij Cæsari à Rege debiti, alioqui tenebantur. Ergo Fridericus, spes vnica rerum, ipsis evidentissimè refragatur.

Porrò, quò ad duas reliquas ejusdē Friderici Bullas (anni millesimi ducentesimi decimi sexti, & millesimi ducentesimi tricesimi primi) non privilegia sunt, sed Investituræ duorum Regum, juxta supra expositum privilegium. In quibus etiam illud pro asserta à nobis veritate facit, quod expresse profitetur Imperator, se tanquam primogenito, post patris ejus Obitū, Regnum Bohemiæ tradere possidendum. quorsum autem istud, si Primogenitura non habet prærogativam successionis? cur tanquam primogenito? vel, si vti primogenito: ergo non tanquam arbitrario jure electo. Sed reddamus verba Friderici in Bulla anni millesimi ducentesi-

mi trigesimi primi, quâ Wenceslaum juniorem in Regem confirmat. *Tunc*, inquit, *Imperiale fastigium sua rutilat dignitate, cum ad Reges & Principes suo subjectos Imperio suæ radios claritatis effundit, & ipsis paterna regna munifica largitione confirmat.* Nota istud: *Paterna regna*, sic ea vocantur, quæ jure hæreditario ad filios deveniunt. Pergit: *Hinc est igitur, quòd per præsentem augustalem paginam notum esse volumus, quòd cum olim, vivente dilecto Principe nostro Othocaro, Illustri Bohemorum Rege, recepto, à dilecto Principe & affine nostro Waczlao juniori Rege filio ejus, homagio juxta morẽ: concesserimus, eiq; tanquam primogenito* (arrige aures) *de innata liberalitate nostra Regnum Bohemiæ post ejusdem Patris sui obitũ ab imperio possidendum: attendentes*, &c. pergit merita Othocari & Filij commemorare; & tandem subijcit: *Concessionis dudum habitæ munera liberaliter prosequentes, Regnum Bohemiæ cum omni honore & dignitate, Civitatibus* &c. *Imperialis auctoritatis munimine confirmamus.*

Sed fortasse interpres Friderici, & quidem nobilissimus, Maximus atque Optimus Imperator Carolus IV. suppetias feret, & commentario suo restituet rem. Proferunt itaq; pro se Caroli IV. Bullam, anni millesimi trecentesimi decimi septimi, qua confirmat ad verbum supra commemoratũ privilegium Friderici, atq; contendunt: pro se facere, dum alterius Bullam confirmat; contra se verò, confitentur, illam ipsam interpretari. Sed obsecro: quis ita stupidus est, vt literas aliquas confirmet alio sensu, quàm quo eas intelligit & interpretatur? Cùm igitur interpretatus ita sit, quòd successioni hæreditariæ in Regno Bohemiæ nihil præjudicent: quomodo potuit eas confirmare alio sensu, quasi jus successionis penitus abrogent? Igitur à vobis produci non debuerunt, vt quæ maximè vobis ipsis adversentur. Sed ita fit, vt qui præsidijs destituuntur propriæ causæ, dum quævis temerè conquirunt, & corrogant, semetipsos conficiant. Verum Caroli IV. Confirmationem expendamus.

Ad tollendum de medio omne dubium, vel obscurum, quibus dictarum

seriæ

series aspergitur literarum, vt Reges Bohemiæ præfati, ipsiusq; Incolarum Status in sincera Imperij dilectionis perseveret concordia, & vnitatem in vinculo pacis servet, &c. *Electionem Regis Bohemiæ in casu duntaxat, & eventu, quibus de Genealogia, progenie, vel semine, aut prosapia regali Bohemiæ masculus, vel famella, superstes legitimus (quod DEVS avertat) nullus fuerit oriundus, vel per quemcunq; alium modum vacare contigerit dictum regnum; ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles & Communitatem Regni præfati, & Pertinentiarum ejusdem,* &c. *decernimus, pronuntiamus, interpretamur, & præsentis Scripti patrocinio declaramus: ritè, justè & legitimè in perpetuum pertinere.*

Hæc ita perspicua sunt, vt nemo, qui attentè ea legerit, Carolum negaverit, manifestè sancire, solùm in defectu hęredis, locum esse Bohemis electioni: quin id ex Friderici mente esse planè decernit: quod etiam est à nobis supra demonstratum. Et quando dubia esset Friderici sententia, jus est Successoris illam interpretari. Sed spectemus parumper, quemadmodum se torqueant, vt se ab hoc, tam perplexo nodo, expediant. Primò dicunt. *Illa interpratatio locum non habuit, nec observata est, nec observari debuit, aut potuit, maximè propter clausulam Aureæ Bullæ Imperiali annexam, qua privilegia & consuetudines antiquæ Regnicolarum in æternum adeò roborantur, vt ne Imperiali quidem sanctione mutari possint, nedum vt privata declaratione solius Imperatoris, aut Regis Bohemiæ cujuscunq; hoc fieri possit, aut debeat.*

In hoc responso plura insunt. Primò: hanc interpretationem non fuisse servatam. Secundò: non potuisse, nec debuisse observari, quòd pugnet cum Aurea Bulla Imperiali. Tertiò: quòd privata declaratio solius Imperatoris, aut Regis non possit officere juribus & consuetudinibus Regni in æternum roboratis per Bullam auream Imperialem. Verùm ista omnia vel levi spiritu exufflantur.

Primum quidem: quia modò non examinatur factum, & vsus, de quo postea dicetur; sed jus & privilegia. Secundum est

perſpicuè falſum, vt oſtendetur infrà. Et quomodo eſt credibile, Carolum ita ſecum pugnare, vt in confirmatione privilegij Friderici contrarium prorſus declaret, quàm quód in Imperiali Bulla conſtituit, nulla præſertim prioris facta mentione ſententiæ? Nam Imperialis Bulla poſterior eſt. Tertium verò eſt planè mirabile, vt Imperatori adimatur jus interpretandi priorum Cæſarum conſtitutiones, ſive privilegia. Sed mirabilior eſt ratio, quæ redditur: quia, videlicet, nequit derogare privilegijs & conſuetudinibus Regni. Mi homo, qui interpretatur, non derogat privilegijs anteà cõceſſis: ſed declarat, quo ſenſu data ſint. Quòd ſi contrariũ aliquid privilegio vſurpatum eſt conſuetudine, id ſaltẽ ex privilegio non eſt factum: de quo nunc diſceptatur. Quatenus autem Imperator, aut Rex poſſit indulta ſemel privilegia minuere, vel abrogare, non attinet hoc loco diſputare, quando non aſſerimus à Carolo IV. fuiſſe abrogatum Friderici privilegium, ſed expoſitum, & quidem rectiſſimè, vt ſupra oſtenſum fuit. Quòd autem privatam vocant Imperatoris Authoritatem, qua interpretatur literas Prædeceſſoris ſui; per hoc faciunt ipſum, ex Iuriſperitis aliquem. Certè Sanctiones ſive Declarationes Cæſarum Aurea Bulla obſignatæ, non ſunt privata commentaria, ſed maximè publicæ, ſive Conſtitutiones, ſive Leges. Neque advertunt: ſi declaratio illa tollatur, nihil penitus à Carolo confirmari, quod ipſos concernat: quando Friderici Diploma de Iure Regis eligendi non aliter vult intelligi, vel eſſe ratum, niſi cum Regni hæres legitimus defuerit. Sed ecce, dum Cæſari ipſi detrahunt interpretandi auctoritatem: arrogant ſibimet, & declaratoriam declaratoriæ condunt; Caroli declarationem vel pervertendo, vel abrogando. Quod ſi facere eis licet, vt pro arbitratu admittant, vel reijciant ex Cæſaris Diplomatis hoc, aut illud; dum, quò ad aliqua ipſis contraria, infirmant illorum auctoritatem: pari jure cætera redduntur inania, atq; adeò ipſorum privilegia ijſdem contenta.

Sed viderunt, parum ſe probabilia afferre; proinde gloſſema alterum adijciunt, in hæc verba: *De-*

Deinde, etiamsi id fieri potuisset: extendi tamen nequit vltra prosapiam ejusdem Cæsaris Caroli è Domo Lucemburgica oriundi; puta duos ejus filios, Wencesilaum & Sigismundum: qui ambo existentes Cæsares Romani, & Reges Bohemi, sine hæredibus decesserunt, relicta vnica tantùm à Sigismundo filia Elizabetha, quæ Alberto Archiduci Austriæ matrimonio juncta fuit, & filium ei peperit Ladislaum.

In hac evasione duo sunt, quæ merentur censuram. Prius est, quòd Caroli declarationem ad prosapiam tantum ipsius pertinuisse dicant: cum vniversè Cæsar loquatur, nulla prorsus prosapiæ suæ facta mentione: ait enim: (vt verba illius iterum necessariò repetammus) *Electionem Regis Bohemiæ in casu duntaxat & eventu, quibus de Genealogia, progenie, vel semine, aut prosapia regali Bohemiæ masculus vel fæmellà superstes nullus fuerit oriundus, vel per quemcunq; alium modum vacare contigerit dictum Regnum*, &c. Vbi observa præcipué illa duo verba, *In casu duntaxat*, quorum perspicua vis ea est; non competere Bohemis Ius Electionis, nisi prorsus nullo existente ex Regali prosapia Bohemiæ, sive masculo, sive fæmina: non inquit, ex prosapia Carolina: quo pacto planè declarat: Regnum esse hæreditarium: vt postquam aliquis (in tali defectu hæredum) legitimè fuerit à Statibus electus: qui ex ejus deinceps prosapia fuerint, debeant omninò succedere: neq; fas sit aliunde Regem sumere, nisi istis prorsus omnibus è vita decedentibus.

Posterius virgula notandum illud est, quòd affirmant: mortuo Ladislao, potuisse Bohemicos Status, vi privilegiorum, elegisse Podiebradium. Nam si Caroli confirmatio, vt ipsi eam restringunt, ipsius saltem prosapiæ concedit jus Regni, quamdiu aliquis ex alterutro sexu exciterit superstes; cùm superessent tunc duæ Sorores Ladislai: clarum est, vi privilegiorum, non potuisse, Regem aliunde sumi; contraq; privilegia, Georgium fuisse electum.

EXPENDITVR BVLLA Aurea Caroli IV. pro Iure Successionis.

X hac etiam tueri se conantur, in hæc verba: *Confirmatur hoc etiam per Auream Bullam ejusdem Imperatoris Caroli IV. quam universo Romano Imperio dedit: in qua de omnibus septem Electoribus Imperij, quod cujusvis sit officium, & quorum Principatus ad Imperium devolvantur, cap. 7. sic statutum est: Si verò aliquem ex hujusmodi Principatibus eorum, Imperio sacro vacare contingeret: tunc Imperator, seu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit, & poterit, tanquam de re, ad se, & Imperium legitimè devoluta: salvis tamen semper Privilegijs, Iuribus, & Constitutionibus Regni nostri Bohemiæ super Electione Regis in casu Vacationis, per Regnicolas, qui jus habent eligendi Regem, faciendi juxta continentia eorundem privilegiorum, & observatam consuetudinem diuturnam à Divis Romanorum Imperatoribus sive Regibus obtentorum: quibus ex hujusmodi sanctione Imperiali in nullo præjudicare volumus: imò ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.*

Locus iste, in quo putant se vitam habere, mirùm, quàm manifestè eos revincit: vt si nihil præterea suppeteret, & ad eam diem Status Bohemiæ semper vsi fuissent Electionis libertate: ex hoc certè tempore, vi hujus Constitutionis, omni penitus carerent. Duo decernit Imperator, & Electoratum Sæcularium Principum esse hæreditarium; & quis, cum hæres nullus suppetit, sufficiendus sit. In priori comprehendit disertissime omnes Electores sæculares, atq; ipsum nominatim Bohemiæ Regem. Posteà, subjungit ista.

Ne inter eorundem Principum sæcularium Electorum filios super jure, voce, & potestate præfata futuris temporibus scandalorum & dissensionum

ſionum poſſit materia ſuſcitari, & ſic bonum commune periculoſis dilationibus impediri, futuris, auctore D E O, *cupientes periculis ſalubriter obviare: Statuimus & imperiali auctoritate, præſenti Lege perpetuis temporibus valitura, decernimus: vt poſtquam iidem Principes Electores ſæculares, & eorum quilibet eſſe deſierit: Jus, vox, & poteſtas Electionis hujuſmodi ad filium ſuum primogenitum legitimum Laicum; illo autem non exiſtente, ad ejuſdem primogeniti primogenitum, ſimiliter Laicum, & ſine contradictione cujuſpiam devoluatur.*

Quæro jam, vtrum iſta Sanctio ad Bohemum Electorem pertineat, nec ne? ſi pertinet: ergo filij & reliqui deinceps hæreditario jure ſunt Electores. atqui eſſe nequeunt, niſi Regnum quoq; ipſũ illis hæreditarium ſit: nam Electoratus à Regno diſiungi non poteſt. Et verò conveniebat maximè, vt Electoratus in ſæcularibus eſſet familiæ decus: nam in Eccleſiaſticis Principibus prohibebat Status, qui non gignit hæredes. Quòd ſi Carolus volebat, exceptum Bohemiæ Regem; vel ſi hunc non eſſe hæreditarium exiſtimaſſet: non adnumeraſſet illum reliquis Sæcularibus, de quibus conſtituebat, vel nominatim excepiſſet: cùm contrà nominatim illum cæteris adnumeret, & ſimiliter de eo ſtatuat. Quare ex iſta Conſtitutione evidens efficitur: Regnum Bohemiæ ex illo tempore eſſe hæreditarium: qualecunq; ante fuiſſet. Quin etiam conſequitur: fuiſſe quoq; prius tale; & pro indubitato id ab Imperatore ſupponi: quia nec novare quicquam circa hoc volebat; ac, ſi voluiſſet: vtiq; ſignificaſſet diſertè, ſe id facere, factiq; ſui rationem vir prudentiſſimus reddidiſſet. Neq; porrò Bohemi facile admiſiſſent, vt prætextu Electoratus Ius ipſis liberæ adimeretur Electionis. Hæc tam clara apertaque ſunt, vt qui ea non videt, nihil videat.

Cæterùm, hanc totam illius Capitis 7. vel tituli potius partem diſſimulanter prætermittunt. Sed pejus eſt, quòd, quam pro ſe producunt audacter, perinde ipſos jugulat. Nam declarat Cæſar: ſi aliquem ex prædictis Electoralibus Principatibus vacare contin-

tingat,tunc ad Cæsarem devolui; qui *de ipso,*inquit,*providere debebit,& poterit tanquam de re ad se,& Imperium legitimè devoluta.* Hîc jam primùm excipit Bohemiæ Regnum,cujus privilegium (videlicet à Friderico II. concessum, & à se anteà confirmatum) ratum esse vult,*super Electione Regis,in casu vacationis per Regnicolas,qui Ius habent eligendi Regem Bohemiæ.* In casu,*inquit,*Vacationis; Vacationem autem vocaverat,non quę fit,Principe aliquo decedente: (quia nec est vera Vacatio, cum eo ipso hæres succedat) sed, quâ penitus hæres omnis extinguitur, Iusque ad Feudi Dominum revertitur. Nam in eo excipit Bohemum, in quo alios Principatus onerat, vt deficiente stirpe sint caduci: Regnum autem Bohemiæ, jure Electionis accipiat tunc à Statibus Successorem. Atq; hoc est, quod in expositione privilegij Friderici supra notavimus; & quo solo gloriari Ordines Bohemiæ jure possunt. Nam si plus Carolus in hac posteriore Sanctionis parte Bohemis daret: sibimet in priore contrarius foret;sed id tantum ipsis concedit, quod negat cæteris Electoribus.

Ex dictis jam colligimus vnum,valde nobis in posterum profuturum:quòd in tali casu Vacationis, qui à Bohemis in Regem eligitur, sicut eo ipso fit Elector, accedente Confirmatione Cæsaris:ita simul hæreditarium Ius acquirit in Regnum; non aliter,ac qui post Vacationem Principatus, ab Imperatore investitur, & Princeps fit hæreditarius & Elector. Etenim (vt supra demonstratum est) Electoratus est hæreditarius; ac proinde etiam sive Principatus,sive Regnum, cum quo est nexu indissolubili copulatus, vt alterum sine altero esse nunquam possit. Itaq; tàm est certum: Bohemiæ Regnum esse hæreditarium;quàm est certum: illud esse Electorale:vt planè cæcutiant, qui; cùm hoc affirment: alterum pernegant.Et debuisset Elector Bohemus ad numerari Ecclesiasticis Electoribus in ratione ac modo successionis,non verò Sæcularibus;si quemadmodū Ecclesiastici libera subrogantur Electione, ita etiā Rex Bohemiæ institueretur. Hactenus de privilegijs:alterū sequitur caput de Facto,& vsu vel Successionis,vel Electionis.

Secunda Confirmatio


HÆREDITARIÆ SVC- cessionis, ex facto vsuq; perpetuo.

DE hac re illi ita definiunt. *Sciendum est, gentem Bohemam ab illo statim tempore, ex quo Regio culta est, & habitata fuit, semper jus liberè eligendi Principes habuisse, idq; ab ipsis longa serie temporum ita observatum fuisse: vt non ex historijs tantum, sed ex privilegijs alijsq; documentis abundè liquet.* ita illi.

Confirmatio hæc, à prima consuetudine petitur: quæ, an fuerit perpetua, nec ne, non satis declarant: imò pugnantia videntur affirmare. Nam primò dicunt: *semper jus liberè eligendi Principes habuisse:* moxq; subjungunt: *idq; ab ipsis longa seriè temporum ita observatum fuisse.* Longa, inquam, quasi non semper factitatum fuerit. Sed nimirum conciliare dicta sua possunt hoc modo: Ius quidem habuisse eos semper; vsum autem, longum quidem, tametsi non perpetuum. Quod si nec istud quidem velint, at se longam seriem vocare, quæ fuerit perpetua. equidem, vt sua ipsi verba, vt placet, interpretentur, per Nos licet. Porrò neq; Ius, neque vsum fuisse semper, immò nunquam; ex Historijs, ad quas nos remittunt, non est difficile demonstrare. quò magis mirum est, authorem hujus Tractatus ad Historias provocare. Quare, venit in mentem suspicari: hunc Tractatum haud fuisse publicè recognitum, & approbatum; sed à quopiam Advocato temerè congestum. Sive igitur ille, quisquis est, ignorantiâ laboraverit historiarum; sive malitiâ contra mentem, scientiamq; suam locutus sit, nostrâ non interest. Nos hanc sive Ignorantiam, sive malitiam, perspicuè ex indicatis ab eo fontibus redarguemus, atq; convincemus. Sed vt agatur clarius, distinguemus duo tempora: Alterũ ab ipso penè gentis Bohemæ exordio, quousq; proles mascula defecit Aviti sanguinis; Alterum ex quo per fœminas ejusdem sangui-

guinis propagatus est Bohemiæ Principatus, cum jam Regnum existeret, vsq; ad FERDINANDVM II.

PRIMÆVA CONSVETVDO hæreditariæ Successionis.


RErum Bohemicarum Scriptores narrant: post Czechum, Principatus Bohemiæ Conditorem, absq; liberis defunctum, cum aliquandiu popularis Status non satis feliciter procederet, ad Crocum Virum probatū publico suffragio Principatum fuisse delatum: postq; illius mortem, Lybussam, ejus vnam, ex tribus, filiam, præstigijs nobilem, & ingeniosam, Patri fuisse suffectam: sed mox facti subeunte pœnitentia, adactam illam, vt Virum sibi deligeret, qui publicam rem administraret. Atque illa maritum sibi quidem delegit auspicatò, Premislaum, ab aratro sumptum; at non revera Principem, cum illa nihilominus clavum rexerit. Ab isto Przemislai Lybussæq; connubio propagati sunt Principes Bohemi, nunquam interrupta serie, & quidem virili, vsq; ad Præmislaum Othocarum, cui Privilegium à Friderico datum esse Regni, supra commemoravimus: quin ab hoc ipso Othocaro vsq; ad Wenceslaum illum, qui Iuditham filiam Rudolphi I. Imperatoris Austriaci vxorem duxit: ex qua genuit wenceslaum juniorem: qui sine posteris à sicario interfectus, postremus fuit Bohemiæ Princeps, paterno sanguine à Przemislao. I. procreatus. Nam deinceps per fœminas ejusdem sanguinis Regia dignitas in posteros transmitti cæpit. Iam verò (vt narrationem hanc vniversam ad institutum nostrum revocemus) constat luce clarius, à Przemislai Filio ad Wenceslaum, de quo diximus, qui ex Iuditha Austriaca natus est, Successione, non Electione propagatos esse Principes, Regesq; Bohemiæ, non secus ac in quovis alio Imperij Principatu; ac liberrimè vnumquemq; Principem dixisse suos hæredes, nemine contradicente

cente

cente, obtentu liberæ Electionis. Vbi nam igitur illa est prisca consuetudo? Vbi series eorum, quos liberis suffragijs suffecerunt? & an non tam constans familiæ vnius in solio perseverantia apertè convincit: non fuisse locum liberæ Electioni? quæ cum est; & quolibet Principe decedente, suffragari licet alijs pro arbitratu; nec vitari schismata possunt: & videre est complures extraneos candidatos, qui Principatum publicè ambiant, sibiq; deferri postulent. qualia cum in serie Principum non deprehendantur; & si quæ extiterint dissidia, inter ipsos, qui de Prosapia erant Principũ, agitata sint: profectò (modo pertinacia absit) nemo sanus inficiabitur: Bohemicum Principatum per secula priora non Electivum, sed hæreditarium extitisse.

Quod vt apertius constet, subijciamus hoc loco Catalogum Principum, qui jam ab initio Principatum jure sanguinis adierunt, ex Historia Bohemica Ioannis Dubravij Episcopi Olomucensis, & Wenceslai Hajeki, &c.

I. CZECHVS, Gentis Conditor, quo absq; liberis defuncto, subrogatus est suffragio populari

II. CROCVS, Anno Christi. 670. qui cum tres filias reliquisset, suffecta est Patri

III. LYBVSSA, Anno. 710. Sed pertæsi muliebre Imperium, Lybussam coëgere, virum accipere, fuit autem ab ea delectus.

IV. PRZEMISLAVS, Anno. 722. ex quo & Lybussa deinceps propagati sunt Principes Bohemi. neq; tamen ex Plebiscito, aut Lege, quàm vsu ipso & consuetudine recepta & continuata factus est hæreditarius Principatus: vsq; adeò, vt cum hæredes essent jam tunc hebetes, & parum apti: nihilominus respectu sanguinis succederent. qualis omninò fuit Przemislai & Libussæ filius

V. NEZAMISLIVS, Anno. 745. Huic Successit Filius

VI. MNATHA, Anno. 783. Huic item Filius

VII. VOGENVS, Anno. 804. Huic Filius natu major

VIII. KRESOMISLIVS, Anno. 832. alio nomine Vnislaus, (etsi hic Dubravio est diversus) Huic filius

IX. NECLAN, Anno. 852. Huic Filius natu major.

X. HOSTIVITVS, Anno. 873. Huic Filius

XI. BORIVOIVS, Primus Christianus Princeps, Anno. 890. Hic causa Religionis Christianæ vexatus à Bohemis, voluntarium sibi elegit exilium in Moraviam. & quòd sine Principe Respublica detrimentum pateretur, habitis Comitijs, accersitus est ex Bavaria Stoimirus ab Hostivito Principe olim relegatus: sed mox rejectus; & vnde venerat, remissus est: qui proinde Successionem sanguinis interrupisse non est censendus: præsertim revocato postmodum Borivoio, & dignitati suæ restituto. Qui adhuc superstes, quò liberius pietati operam daret, accitis Ordinibus, Principatum filio natu majori tradidit. Is fuit

XII. SPITIGNEVS, Anno. 905. Huic brevi defuncto, Patre adhuc vivente & volente, successit frater

XIII. WRATISLAVS, Anno. 907. Huic filius sanctissimus

XIV. WENCESLAVS, Anno. 921. qui Regiam dignitatem, ab Otthone Imperatore delatam, vsurpare detrectavit. Iure tamen Rex fuit, & pro felici Bohemici Regni auspicio Primus meritò numerandus. huic Successit fratricida

XV. BOLESLAVS, Sævus appellatus, Anno. 929. Huic filius natu minor (quòd Strachikwas major Ratisbonæ monachum professus esset.)

BO-

XVI. BOLESLAVS, Pius dictus, Anno. 967. Huic filius cognominis

XVII. BOLESLAVS, Anno. 999. qui luminibus privatus cessit filio majori adhuc vivens principatu. Is fuit

XVIII. IAROMIRIVS, Anno. 1003. Hunc excæcavit frater, eidemq; successit

XIX. VDALRICVS, Anno. 1004. Huic primogenitus

XX. BRETISLAVS, Anno. 1037. Huic item major filius

XXI. SPITIGNEVS, Anno. 1055. Huic frater ætate proximus

XXII. WRATISLAVS, Anno. 1061. Hic ab Henrico IV. Imperatore Rex creatus, primus, facto ipso, Regem gessit. Bretislao autem primogenito, ob contumaciam, posthabito, vivens coram Ordinibus Successorem sibi designavit Conradum fratrem. Sed Regius deinceps honor ac titulus ad annos. 60. interruptus fuit.

XXIII. CONRADVS, Anno. 1093. hæreditatem adijt. Huic brevi defuncto successit Wratislai Regis filius (qui à Patre fuerat exclusus)

XXIV. BRETISLAVS, Anno. 1093. Huic frater Successit ab ipsomet designatus

XXV. BORIVOIVS, Anno. 1100. Hunc Regno expulit Suatoplucus, ex Ottone, Bretislai I. filio, natus, & principatum arripuit

XXVI. SVATOPLVCVS, Anno. 1107. Huic rursum Successit ex filijs Wratislai Regis

XXVII. WLADISLAVS, Anno. 1109. Hic, Præterito Otthone fratre majori, designavit Successorem alterum minorem, is fuit

XXVIII. SOBIESLAVS, Anno. 1125. Hic vicem rependens, ex filijs Wladislai dixit hæredem Wladislaum.

 Wla-

XXIX. WLADISLAVS II, Anno. 1140. Postea Rex à Friderico Imperatore Barbarossâ creatus. II. Bohemiæ Rex. Sed post ipsum denuò interregnum fuit. Porro Wladislaus adhuc vivens, administrationem Friderico filio tradidit.

XXX. FRIDERICVS, Anno. 1173. Hunc intervertit Vdalricus Sobieslai Principis filius, & Wratislai Regis Nepos.

XXXI. VDALRICVS, Anno. 1174. qui mox cessit Fratri majori Sobieslao.

XXXII. SOBIESLAVS verò II. Anno eodem. 1174. Princeps factus. Sed hunc restitutus Fridericus dejecit. Friderico defuncto Successit

XXXIII. CONRADVS, Leopoldi Znoimensis filius, Anno. 1182. quo peste extincto,

XXXIV. WENCESLAVS, Othonis Nigri filius, Anno. 1191. pro Principatu cum Premislao Wratislai Regis filio contendit; sed Wenceslao interfecto, & Premislao exclusô, pro bono Pacis rogatu Procerum Successit

XXXV. HENRICVS Wladislai filius, & Wladislai Regis frater, ex Episcopo Pragensi factus Princeps, Anno. 1191. Hic Republica laudabiliter administrata, Egram secessit, Regni curam Ordinibus commendans, vbi brevi decessit. Ex Wladislai Regis filijs, Wladislao & Premislao (quod senior tunc ignotus exularet apud Ratisbonam in Latomijs) prælatus est

XXXVI. WLADISLAVS, Anno. 1197. qui postmodum Premislao seniori cessit principatum.

XXXVII. PREMISLAVS, dictus Othocarus Wladislai Regis Filius, Anno. 1197. à Philippo Imperatore manu propria coronatus Moguntiç in conventu Principum, III. Rex Bohemiæ, ex quo Regia Dignitas continuata est;

est; & ipse Wenceslaum filium adhuc puerum coronavit:

XXXVIII. WENCESLAVS, Premislai filius, & ipse Othocarus nominatus, ac Rex IV. Bohemiæ, Anno. 1231. Huic item Successit filius

XXXIX. OTHOCARVS, ita simpliciter nominatus, cognomentum Avi quasi proprium sortitus; alioqui Premislaus Othocarus, V. Rex, Anno. 1254. Successit ei filius,

XL. WENCESLAVS, VI. Rex, Anno. 1284. qui ex Iuditha Rudolphi I. Imperatoris filia suscepit filium, Wenceslaum iuniorem appellatum:

XLI. WENCESLAVS Iunior, VII. Rex: vltimus Bohemiæ Princeps ex posteritate Virili Premislai I. Sed duæ illius Sorores Anna & Elizabetha fuere superstites.

Iam in ista Principum serie sunt aliqua observanda. Primò: quòd Successio penes eundem sanguinem stetit absq; vlla Regni contradictione, vel prætensione liberæ Electionis.

Secundò: quòd vnusquisque Princeps proximum sibi filium vel fratrem dixit hæredem, vt fit in hæreditaria Successione: & qui sic dictus fuisset, semper est pro legitimo receptus: nisi cum vis à cognatis ipsis intervenit.

Tertio: quòd ipsa subinde inter Cognatos dissidia, & mutuæ contentiones certo argumento sunt, principatum fuisse hæreditarium: quòd cum quisq; tanquam sibi debitum, non suffragio Electionis, sed prærogativa Successionis vendicaret.

Vnde Regnum, quomodocunq; illi inter se dissentirent, obnoxium se suis Principibus agnoscebat: nec per occasionem dissidentium, licet inde multum incommodi pateretur, tentavit vnquam, sese in libertatem assèrere; jusq; subrogandi Successores, ad se transferre. Tam erat fixum ratumque, Successionem jure hæreditario ad illius Prosapiæ Principes pertinere.

HÆ-

HÆREDITARIA SVCcessio Domus Lucemburgicæ.



POsteaquam Hæres Masculus, primævi Principum Bohemiæ sanguinis defecit, ex fœminis ejusdem Prosapiæ propagati sunt Reges Bohemiæ: & nunquam Is Thronus caruit avito Principum sanguine, nisi cum Georgius Podiebradius illum occupavit, de quo suo loco dicetur. Vnde factum est, vt externæ Principum familiæ in sanguinis Sceptriq; communionem adscitæ sint. Lucemburgica primum, deinde Austriaca, tertio loco Polonica, & iterum Austriaca. Igitur de Lucemburgica primo dicendum. Wenceslaus Rex Pater illius interempti, in quo virilis sterit propago, duas quoq; filias suscepit ex Juditha Rudolphi I. filia, Annam, & Elizabetham: ex quibus Anna Henrico Carinthiæ Principi cum nupsisset, mortuo fratre Wenceslao, hæreditatem Regni adijt cum Viro suo Henrico. Nam (quod lib. 10. narrat Dubravius) ambæ Sorores, Anna videlicet Henrici vxor, & Elizabetha nondum cuiquam desponsa, Comitium ingressæ, orant, sui haberi rationem: ne velut alienæ à Regno prætereantur. Ita ad Henricum propter Annam regimen tunc defertur. Porrò non inficias juerim, disceptari tunc ab Ordinibus potuisse, deberentne fœminæ succedere: cum is casus in eo Principatu tunc se primum offerret. Cæterum in vtraq; Sorore id Regni Proceres secuti sunt, quod magis erat naturali juri consentaneum: idemq; vsu & auctoritate Cęsarea, Regiaq; sancitum, atq; in Regni jura Legesq; transcriptum est. Iam, vt ad Annam & Henricum ejus maritum revertamur. Is, quod confirmationem ab Imperatore Henrico VII. Lucemburgensi in tempore non petivisset: (is scilicet prætextus quæsitus fuit) Principatu exutus est; suffecta autem Elizabetha natu minor Wenceslai Regis filia: cui Ioannes Cęsaris Henrici filius ab ipsomet parente, Proceribus Re-

gni Bohemiæ flagitantibus, maritus datus est. ex quo matrimonio Carolus IV. & Wenceslaus illi9 filius, & hujus frater Sigismundus eodem ordine sibi in Regno Bohemiæ hæreditario jure Successêrunt. De quo Iure Carolus Rex, quid senserit, & quàm seriò illud asseruerit; ex illius Diplomate, quo Friderici privilegium confirmavit, ac ex Aurea Bulla plus satis intellectum est. Illius verò filij inter se Ius Regni sibi cesserunt; non secus, ac vulgares homines de agro, aut re quapiam hæreditaria faciunt. Extat enim Diploma Sigismundi jam tunc Hungariæ Regis, vbi Ius Regni Bohemiæ Ioanni minori fratri cedit, in hæc verba.

Sigismundus Dei *Gratia Rex Hungarorum*, &c. *Quia pridem Serenissimo Principi Domino Wenceslao Romanorum Regi semper Augusto, & Bohemiæ Regi Illustri, fratri nostro charissimo, bona & sufficienti deliberatione præhabita; specialiter propter singularis amoris affectum, quem ad Illustrem Principem Dominum Ioannem Ducem Gorlicensem & Marchionem Lusatiæ fratrem nostrum charissimum nativa quadam inclinatione tenemus, ad ejus etiam honores & profectus augendos ex vinculo sanguinis obligamur: scientes indulsimus, annuimus, consensimus, & plenam ac omnimodam facultatem, potestatem, & libertatẽ concessimus, & donavimus: vt ipse insigne Regnum Bohemiæ, & ejusdem Regni Coronam, (in quo nobis ex donatione paterna ac Successionis ordine, tanquam post dictum Dominum Wenceslaum fratrem nostrum, Seniori Divi Imperatoris nostri filio (in casu, quo ipsum, quod absit, legitimis hæredibus non relictis præmori contingeret, plenum jus competit Succedendi) vni nostrum, videlicet inter nos & præfatum Dominum Ducem Ioannem, qui sibi ex nobis magis placuerit, & ad quem propria & speciali ex affectione ac libera voluntate trahetur, sine alterius ex Nobis, & signanter Nostri, reclamatione, & renitentia aliquali in vita, vel in morte, quomodo vel quando sibi placuerit dare, donare, legare; & eundem ex Nobis, cui legaverit seu dederit Regnum præfatum, coronari facere, & subjectionem & fidelitatem quorumvis subjectorum Regni Bohemiæ sibi fieri, disponere, & ordinare valeat, atq; possit: pro vt hoc ipsum in alijs nostræ Majestatis literis dicto Domino Wenceslao fra-*

tri Nostro datis desuper sufficientiùs) continetur. Idcircò in casu, quo ipse Frater noster Dominus Wenceslaus Romanorum Rex in vita vel in morte præfato fratri Nostro Domino Duci Ioanni Regnum Bohemiæ prædictum concederet, vel donaret, & non Nobis: ex tunc vos omnes in genere, & vestrum quemlibet in specie, animo deliberato & de certa scientia, ac nostra libera voluntate, de omnibus & singulis promissionibus, juramentis Nobis factis, quibus nobis ex fide facta, vel alias quomodolibet, ex Successionis ordine sive jure astricti tenemini quoquomodo, absolvimus, liberos dicimus, & dimittimus, ac tenore præsentium penitus liberamus. Mandantes vobis virtute præsentiū seriosè: Quatenus, si, vt præmittitur, dictus Dominus Wenceslaus dicto Domino Duci Regnum Bohemiæ concederet, vel donaret: quòd ex tunc ad eundem Dominum Ducem Ioannem, ad quem vos ex nunc, pro vt ex tunc transducimus, tanquam verum naturalem & Ordinarium Dominum vestrum, & hæredes suos legitimos, & nullum alium respectum habere, & eidem fidelitatem, juramenta, & subjectionem facere, & parere ac obedire modis omnibus debeatis, &c. Datum Sempshe, Anno Domini, millesimo trecentesimo Octuagesimo Octavo, die tertia mensis Iunij.

Successit nihilominus Sigismundus ipse, à quo Pragenses cum nonnullis seditiosis tempore tumultuum Ziscovianorum, dum ferro & rapinis vniversum Regnum Bohemiæ vastaretur, cum descivissent, & Moravos aliosq; Status incorporatarum Provinciarum ad defectionem solicitassent: pro responso ab illis acceperunt: (quale vtinam modò etiam dedissent) non posse se, absque dispendio honoris & bonæ famæ, à Rege suo legitimo & hæreditario deficere. Ac cùm Pragenses nihilominus ausi fuissent, filium Vitoldi Ducis Lythuaniæ Koributum in Regem eligere: illi tamen Electioni, Status Baronum & Nobilium adversati sunt ea ex causa, quod à Rege hæreditario jam recepto, & coronato discedere fas non esset. Demùm Pragenses ipsimet Koributum in carcerem detruserunt, & loco aureæ coronæ, probrosa veste indutum, & cucullo inverso coronatum Regno cum infamia

ex-

expulerunt. Tandem post multas calamitates, & devastationes Regni, quas experti sunt, errorem suum cognoscentes, iterum ad obedientiam Regis sui Sigismundi redierunt. Qui cum vnicam haberet filiam Elizabetham, Albertum Austriacum (postea etiam Imperatorem) sibi generum adscivit, adoptavit filium, hæredem constituit: idq; totum Ordines probaverunt. Atq; ita Domui Lucemburgicæ Successit Austriaca in Regni hæreditate, per vxorem: sicut illa priùs illud obtinuerat, & hæreditarium sibi fecerat.

PRIMA SVCCESSIO hæreditaria Domus Austriacæ.

MOrtuo Alberto Imperatore, Rege Bohemiæ, cùm Bohemi elegissent pro Rege Albertum Ducem Bavariæ: is juste & sapienter illam Electionem tanquam invalidam in præjudicium hæredis legitimi, atq; divino & humano jure damnatam (Roe. lib. 11. Annal.) recusavit. Postmodum hanc Electionem Moravi Bohemis exprobraverunt, pro manifesta in Regem suum perfidia & rebellione, vt docent acta Comitiorum ejus temporis. Successit itaq; Alberto Patri Ladislaus tanquam hæres; sed eo brevi, non absque suspitione veneni, communi Europæ luctu, sanctissimè vitâ functo, tertiò ad feminas reditum est. Habuit enim Sorores duas Ladislaus, Annam & Elizabetham, quarum major Duci Saxoniæ Guilielmo, minor Casimiro Poloniæ Regi ex familia Iagellonica matrimonio junctæ erant. Verùm ambæ per ambitionem Georgij Podiebradij exclusæ fuerunt: atque ita tunc primùm, & solùm tunc, Regale Bohemiæ solium penitus caruit primævo Principum sanguine. ex quo isti argumentantur pro jure liberæ Electionis, in hunc modū.

Posteaquam vero dictus Ladislaus defunctus est, Status Bohemiæ vi privilegiorum suorū, Regem sibi elegerunt, qui neq; è Domo Austriaca,

neq; Lucemburgica oriundus fuit, Georgium nimirum Podiebradium: Cui facto non tantum Domus Austriaca locum dedit, sed etiam Fridericus Cæsar ejus nominis III. caput tum temporis Domus Austriacæ & Imperator Romanus, prædicto Georgio Regi Privilegia Regni Bohemiæ confirmavit: vt Confirmatio illa Anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo nono, illustri est documento. Vnde facile apparet: à memorata clausula Confirmationi Caroli IV. inserta, planè discessum esse, adeoq; Regnum Bohemiæ ad nullam certam familiam fuisse ligatum.

Hæc Confirmatio pugnantia prorsus asserit. nam ait: post Ladislaum, *Vi privilegiorum suorum Successorem sibi elegerunt*; Et contrà infert: *Apparet à memorata clausula Confirmationi Caroli IV. inserta, planè discessum esse.* Nam si à Caroli declaratione privilegiorum discessum est: vtique, vi privilegiorum non potuerunt sibi eligere Successorem. Privilegia enim tantum valent: quantum eis defert supremi Principis auctoritas, & interpretatio.

Deinde, quæro: an jure discessum sit à Caroli declaratione? Si minus: vtiq; Podiebradij Electio contra Ius & fas peracta est: non ex privilegio. sin autem jure discessum est: ostendant, quo jure. nam Caroli declaratio vim suam habebat, quoad saltem contraria consuetudine non fuerat ipsi derogatum. Porrò ante Georgium, tale non præcesserat exemplum. Menebat igitur sua auctoritas Caroli Sanctioni, & perperam ab illa est discessum. Quod etiam atque etiam confirmat ipse Electionis modus. Nam cum Legati adessent Competitorum, quibus jus esse aliquod poterat ad Regnum, Friderici primùm Imperatoris Austriaci; qui ex veteri cum Bohemis pacto, non tam sibi, quàm aut fratri, aut patrueli Regnum petebat; Deinde Casimiri Poloniæ Regis, & Guilielmi Saxoniæ Principis: quorum Casimirus minorem Ladislai Sororem: Guilielmus majorem in vxorem habebat: studiosè cavit Georgius, ne audirentur, priusquam Electio facta esset. (nempe ne æquitati foret locus) cumque in templum ante Electionem Ordines supplicatum convenissent, vehementi Rokezani oratione; per

per tumultum Georgio acclamatum est. quem tamen neque Moravi neque Silesij pro Rege vnquam agno verunt. At investivit Georgium Fridericus. Fecit pacis bono. Et quia domesticis cinctus periculis, vicini Regis ope indigebat: quam aliquando etiam expertus est. Quanquam tunc Austriacorum Ius ad Regnum non vrgebat: cum duæ Ladislai defuncti Regis superessent Sorores, Polono & Saxoni nuptæ: ad quarum potius alteram ex sanguine hæreditas pertinebat. Atque ita factum, vt defuncto Podiebradio Wladislaus Casimiri filius ex Elizabetha juniori Ladislai sorore ad Regnum accerseretur. sicq; Regius sanguis ex parte matris reponeretur in avito Regni solio. Fixum itaque maneat: Podiebradij Electionem toleratam fuisse magis, quàm probatam: quippe extra juris ordinem.

SVCCESSIO HÆREDITARIA Wladislai ex Regibus Poloniæ.

DEfuncto Podiebradio, qui legitimam Successionem interceperat, per injuriam exclusis Ladislai sororibus: rectè atq; ordine Wladislaus Casimiri Poloniæ Regis filius ex Elisabetha Ladislai Sorore, in Regem Bohemiæ assumptus fuit: quòd ex Regum Bohemiæ sanguine à matre oriundus esset. Nunc videndum, quemadmodum ea familia jus Regni pro hæreditario habuerit, & ad posteros transmiserit. Ac adversarij quidem non dubitant, ab hoc perinde Wladislai exemplo argumentari, atque ab ipsius Podiebradij: cum nulla penitus vel species paritatis sit. quandoquidem Georgius purus putus extra Regiũ sanguinẽ extiterit: Wladislaus autem ex matre à priscis Bohemiæ Principib⁹, Regibusq; descenderit. Sed est, quod in Wladislao ipsos premit: quod is de Regno quasi hæreditario constituerit. Nam peculiaribus literis disponit, vt postquam Ludovi-

eus filius jam sit in Regem coronatus, si absque hæredibus decedat, Ducissa Anna illius Soror, Regni hæres existat; & in gratiã Regnorum Hungariæ & Bohemiæ debeant liberi ita educari, vt vtriusque gentis linguas addiscant. Amplius promittit Bohemiæ Ordinibus: siquidem Anna in eodem Regno hæres est: illam absque Consilio scituq; Regni, se cuipiam non desponsurum. Ac ne Wladislaus arbitratu suo decernere de hæreditaria Regni Successione existimetur, illa in primis verba Diplomatis adnotanda sunt: *Et cum vigore jurium & immunitatum, & privilegiorum Regni Bohemiæ, si suam Serenitatem Regem Ludovicum Dominus DEUS sine hæredibus per mortem avocaret: (quem DEUS custodire dignetur) tunc Filia nostra Ducissa Anna mansura esset vera Hæres Regni Bohemiæ: hæc omnia attendentes*, &c. Vide quemadmodum profiteatur: vigore jurium, & immunitatum, & privilegiorum Regni Bohemiæ, fœminas etiam esse Regni hæredes. Atque hæ ipsæ literæ pro æterna lege à Statibus receptæ, & inter Constitutiones relatæ sunt.

Ad hoc, inquiunt, ita respondetur: *Posteaquam semel à memorata clausula, quam Imperator Carolus IV. suæ privilegiorum confirmationi inseruit, planè discessum est, & Ordines Bohemiæ libera Electione sunt vsi, vt supra adducta exempla id pluribus comprobant: quod nimirũ Domus Austriaca in Regno Bohemiæ hæreditario non Successerit, vnde nec in Regis Wladislai potestate positũ fuit, per dispositionẽ suam sine Comitijs, & contra consensum Statuũ filiam suam hæredem Regni in præjudiciũ privilegiorum constituere, ita vt non patris sed fratris in regno hæres esset.*

Iterum replicant, quod discessum jam sit à Caroli IV. clausula sive Declaratione: idque exemplis constare. At discessum esse, contra fas: & vnicum exemplum Georgij tumultuariè intrusum, nequivisse juri hæredum præjudicare; quod & statim fuit correctum, adscito Wladislao regij Bohemiæ sanguinis ex matre, plus satis supra confirmatum est. Porrò inserta illa verba. *Quod nimirum: Domus Austriaca in Regno Bohemiæ hæreditario non successerit:* non apparet, quorsum pertineant. Nam de jure Austriaco pro illo sem-

tempore non est modò controversia. Iam conclusio illa: *Vnde nec in potestate Wladislai fuit;* &c. confutatis principijs, sponte corruit. Nam constat, non esse contra privilegia, sed ex vigore jurium & immunitatũ & privilegiorũ Regni Bohemię, vt idem ipse Wladislaus palàm profiterur, neutiquam reclamantibus, vt falsò dicitur, sed approbantibus Regni Ordinibus. Et quomodo sine approbatione fecit, quãdo polliceri ipsis debuit, vt postquam Anna hæres foret, non locaretur matrimonio, Statibus inconsultis? Agnoverunt ergo illam pro hærede.

Quòd autem non patris, sed fratris hæredem dici reprehendunt, ambiguum est. nam paterni quidem Regni hæres fit; sed casu tantùm: quod frater absque hærede alio decedat. In quo nihil subest mysterij, vel novitatis. Quòd denique subijciunt: Serenissimum FERDINANDVM I. nullo respectu Annæ, fuisse in Regnum liberrimè electum, id paulopost examinabitur.

SECVNDA SVCCESSIO Hæreditaria Domus Austriacæ à FERDINANDO I. ad II.



HIc est FERDINANDVS, qui post Albertum Austriacum fasces Bohemicos postliminiò in Domum suam retulit. Adversus quem novi Zelatores libertatis opponunt duo: atque contendunt: FERDINANDVM I. non causâ vxoris, sed mera Ordinum voluntate in Regno successisse. Deinde non ita successisse, vt posteris ipsius ex hæreditate debeatur Regnum, sed ex gratuita solùm liberalitate eis fuerit hactenus delatum.

Pro priori asserto, non afferunt aliud, quàm quòd Regnum non sit hæreditarij Iuris: ac si quando fuerit, jam sit per Podiebradium & Wladislaum Reges ei consuetudini derogatum: quæ cum

cùm futilia esse jam suprà ostenderimus, actum agunt. At in FERDINANDI literis Reversalibus præcipuam spem locant, à qua facile deijcientur. Ac primò quidem affirmamus: ex illis ipsis literis maximum creari causæ ipsorum præjudicium. Nam si tales literæ in ipsa admissione ad Regnum, & coronatione Regis expressæ, dignæ postea judicatæ sunt totius Regni suffragio, vt retractarentur; id sanè plus est, & valet pro FERDINANDI jure cõtra prętensa privilegia aliquorũ Bohemorũ: quàm si ab ipso statim initio posteriores literę Reversales datę fuissent. Revocatio enim dictorum, manifesta est confessio, quòd se aliter res habeat.

Sed tenebrio, inquiunt, aliquis post novendecim annos, ex quo priores Reversales à FERDINANDO datæ fuerant, demum anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto irrupit in Tabulas Regni; atque ad marginem illarum literarum adnotavit, eas esse retractatas. Id ita confirmant. I. quia in Diæta ejus anni, & in propositione Regia nulla fit mentio mutationis Reversalium. 2. quia ad marginem prædictam notatur: literas posteriores FERDINANDI reperiri infra eodem Codice; cum in eo non sint, verùm in alio separato. 3. Quia posteriores dissentiunt à prioribus, & pugnant cum privilegijs: quia vrgent Caroli IV. Confirmationem, & Wladislai dispositionem: à quibus jam discessum fuerat. 4. Quia idcircò studiosè occultata hactenus fuerunt privilegia: ne talia in lucem prodirent. 5. Quia FERDINANDVS Imperator satis intellexit: Regnum non esse hæreditarium. Vnde anno millesimo quingentesimo quadragesimo nono, à Statibus petijt, vt Maximilianus ejus Primogenitus à morte Patris Rex esse posset. Hæ profectò telæ non irretient vel culicem quidem. Vniversè respondetur: si detur, tam facile corrumpi posse Tabulas Regni: actum est de illarum auctoritate, ac fide. Nam, si in re omnium gravissima, de ipso jure Regni & successione, irrepsit in eas depravatio, & supposititiæ ab Imperatore Reversales falsò in eas relatæ sunt; quid in illis certum firmumq; potest

test existimari? Porrò, vel Cæsare conscio id factum est, vel eo minimè jubente. Injussu, nemo attentaverit, nullâ sui Principis gratiâ, summum adire periculum. At jussisse Cæsarem, & Eum: voluisseque falsarium fieri publicarum Tabularum, quibus omnis stat fides: id verò nefarium est, vel cogitare. Præterea: nunquid etiam à quopiam tenebrione falsatæ erunt publicæ Regni leges, & constitutiones, quæ manibus teruntur, & ex quibus Ius Iustitiaque administratur: quoniam in illis eadem passim reperiuntur; & ibidem Reversales FERDINANDI posteriores, tanquam norma & regula Successionis proponuntur? quarum verba in tertia confirmatione referentur. Iam ad objecta singula respondendum. Ad primum. Quanti demùm refert, quòd non commemorentur illic posteriores Reversales: quando in Regni Constitutionibus sæpe mentio fit illarum; &, vt dictum est, pro norma proponuntur? & quacunque id ratione acciderit, certè in Comitijs anni millesimi quingentesimi quadragesimi septimi, & mentio illarum fit; & pro jure & lege ab Ordinibus suscipiuntur.

Ad 2. Quale hoc est argumentum, ad tam solidam labefactandam veritatem? Debuerant ambo Codices simul compingi; sed, quia crescebant in majus, separati remanserunt.

Ad 3. Idcircò priores revocatæ sunt, quòd juribus Regni minus consentirent: quare posteriores debuerunt esse diversæ. neque aliter sunt diversæ, quàm, quòd mentio in posterioribus fit ejus juris, quod Anna FERDINANDI vxor ad Regnum hæreditarium habuerat, quodq; in prioribus fuerat prætermissum: Cum privilegijs autem nullo modo pugnant, vt satis ostensum est. Et quænam sunt ista privilegia? Friderici certè, & Caroli pro nobis stant. Et quem isti jactant vsum contrarium, toties Podiebradium suum ingerentes? Nam Wladislaus jus habuit Regni à matre: & quando tunc discessum fuisset à jure pristino: an non reditum est, quando ex illo tempore pro vno illo, quinque præstantissimi Reges è Domo Austriaca clavum Bohemici Regni magna

gloria per annos centum hæreditaria Successione tenuerunt?

Ad 4. Nescio quas latebras obijciunt: quando præ manibus habent Constitutiones Regni, in quibus eadem omnia jam olim legisse potuerunt.

Ad 5. Quid FERDINANDVS senserit, satis apparuit, cum priores Reversales, re melius perspecta, voluit esse retractatas; quæ & in publicis Comitijs Anno millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, voluntate & assensu Statuũ sunt ipsi restitutæ; pro quibus dedit alias: vbi astruit ex Caroli IV. privilegio & Wladislai dispositione, ad vxorem suam Annam, vti hęredem, Regnum fuisse devolutũ: idq; à Statibus etiam agnitum. quas literas ex integro semel recitasse operæ pretium fuerit: sic autẽ habent.

Nos FERDINANDVS, DEI Gratiâ, Romanus Rex, semper Aug. &c. Notum facimus his literis Universis postquam ex destinatione & permissione DEI Omnipotentis, Anno millesimo quingentesimo vigesimo sexto, die Decollationis S. Ioannis Baptistæ calamitosa res accidit: quòd Serenissimus Princeps & Dominus Ludovicus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Frater, & Affinis noster charissimus, pro defensione S. Fidei Christianæ, & conservatione Regnorum, Provinciarum, & subditorum suorum fidelium dilectorum, militando contra hæreditarium & crudelissimum hostem totius Christianitatis Turcam, sine hæredibus è vivis excessit; & hoc pacto Regnum Bohemiæ, & aliæ adhærentes Provinciæ, vtpote Marchionatus Moraviæ, Ducatus Silesiæ, superior & inferior Marchionatus Lusatiæ cũ omnibus & singulis superioritatibus, dominijs, & libertatibus ad illos spectantibus, ad Serenissimam Ducissam & Dominam Annam Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Reginam, Conjugem nostram Charissimam, tanquam ad germanam Sororem suprascripti Regis Ludovici, inclytæ memoriæ, & veram ac genuinam hæredem vigore libertatum, privilegiorum, & Constitutionum Imperatoris Caroli IV. justè devolutum, quemadmodum illæ Majestales fusius hoc in se continent, & comprehendunt: si ex Regia Prosapia & Stemmate Masculei & fæminei sexus legitimè procreatis, nemo superstes esset. quòd libera electio Regis Bohemiæ Statibus ejusdem Re-

gni,

gni, & Provincijs ad illud pertinentibus, & non aliter competeret: quarum litterarum Imperatoris Caroli datum Pragæ Anno millesimo trecentesimo quadragesimo octavo, Indictione prima, septimo Idus Aprilis, & Regnorum anno secundo. Et pariter literis & Reversalibus Regis Wladislai Domini Patris nostri Charissimi, laudabilis memoriæ, expressè hoc insertum est: si Dominus DEUS Regem Ludovicum sine hæredibus per mortem avocaret, quòd juxta jura, Constitutiones, libertates, & privilegia Regni Bohemiæ, Regina Anna, Conjunx nostra dilectissima, Vera hæres Regni Bohemiæ permansura esset: quarum literarum datum in Arce Pragensi feria sexta post Sanctorum trium Regum Anno millesimo qningentesimo decimo, & Regnorum Hungariæ vicesimo, & Bohemiæ tricesimo octavo.

Idcircò, Status dicti Regni Bohemiæ memoratam Conjugem nostram Charissimam, tanquam veram Hæredem & Reginam hujus Regni, juxta tenorem ejusdem Regni Iurium, Constitutionum, & libertatum humiliter recognoverunt, & receperunt. Et personam Nostram, post vxorem nostrã, veluti veram hæredem, in Regem & Dominum suum ex sua libera & bona voluntate elegerunt, & receperunt. Quam Ordinum promptitudinem, & personæ nostræ in Regem Electionem, & receptionem, dictis Statibus, hæredibus, & successoribus nostris eorum omni clementia nostra Regia cum hæredibus, & Successoribus prosequemur, & compensabimus. Datæ in Arce nostra Pragensi feria tertia post D. Egidij Anno à Nativitate filij DEI millesimo quingentesimo quadràgesimo quinto, Et nostrorum Regnorum, Romani decimoquinto, & aliorum decimo nono.

Ideò autem, quòad suam personam, profitetur, se, ex libera voluntate electum, quòd Ius hæreditarium, non suum esset, sed Annæ vxoris: ipse autem recipi approbatione Regni debuerit. Quoniam verò occasione belli, quod cum Ioanne Friderico Saxoniæ gestum fuit, factis conventiculis, articulos aliquot in prejudicium Regis concluserunt, inter quos fuit vnus: ne juramentum heredibus Regis præstetur; & ne, vivente Rege, hæredes coronentur, addentes causam, præjudicare hoc liberæ Electioni, quam sibi de jure competere asseverabant: FERDINANDUS seda-

tis tumultibus, Anno millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Comitia publica Statibus indixit, ac de iniquitate horum articulorum conquestus est; & tandem in ijsdem Comitijs decretum fuit, vt Status Regni Bohemiæ in posterum se gerant erga hæredes suæ Majestatis secundum tenorem Aureæ Bullæ Caroli IV. Imperatoris, Dipositionis Wladislai, & Reversalium suæ Majestatis Anni millesimi quingentesimi quadragesimi quinti. Et ita hæc tria, ex conventione Statuum cum sua Majestate, posita sunt pro norma, & fundamento successionis. quod vt in posterum pro lege habeatur, pluribus in locis inter constitutiones Regni insertum est. sed reddamus hîc verba ipsorum Comitiorum. *Posteaquam S. R. Majestas Statibus id quod attinet suæ Regiæ Majestatis Hæredes propositum voluit: Siquidem Cæsaris Caroli IV. gloriosæ recordationis Aurea Bulla, & Regis Wladislai gloriosæ memoriæ Literæ Majestales, similiter suæ Regiæ Majestatis Reversales Statibus traditæ, quarum datum in Arce Pragensi die Mercurij post S. Ægidij diem, anni M. D. XLV. quomodo se istud Regnum erga hæredes suæ Regiæ Majestatis gerere debeat, clarè continent: in eo omnes tres Status pariter convenerunt, & statuerunt, permanendum esse apud ipsam Auream Bullam, & Majestales literas, ac Reversales: ita quòd juxta jam memoratam Bullam auream, Majestatis literas, & Reversales erga Suæ Majestatis Hæredes, & non aliter se gerere debeant.*

Sed opponunt, vrgentq; importunè: FERDINANDI I. Posteros fuisse libera Electione Ordinum susceptos: nempe Serenissimos Reges Maximilianum II. Rudolphum II. quod inde confirmant: quia FERDINANDVS pro Maximiliano primogenito; Hic pro Rudolpho item natu maximo; & hic pro Fratre Matthia preces suas interposuerunt: vt reciperentur in Reges, & coronâ insignirentur. Quid porrò petere opus fuit, si jure succedebant? sat fuerat, ab ipsis Parentibus declarari hæredes. Adde, quòd ab illis sic Electis, datæ Reversales sunt Regni Ordinibus.

Atqui

Atqui petere, nihil præjudicat juri acquisito, quia etiam, cum jus est certum, facto ipsi possunt obijci difficultates. quod accidedere quotidie videmus: atque in Dominis Bohemis etiam experimur. Nam si Regem, quamvis ab ipsis juratum, & coronatum, tam leviter reijciunt: quid sperandum fuerat, si nec receptus quidem fuisset? & quanto boni Domini pretio nunc redimerent, vt FERDINANDVS non fuisset aliquando admissus, nedum coronatus? certè minori infamia repudiari ab eis modò potuisset, Igitur quòd jus suum aliquis modestè petat, ac etiam pro obtinendo roget: non est novum, & sæpè necessarium; & factitatum passim etiam à Regibus, quos constat esse hæreditarios. Nam quidam quàm libenter vsurpant alienum, tam reddunt inviti. Itaq; firmari Regni Successionem demissione animi, ac demereri ita subditos, nihil derogat hæreditati jure debitæ: imò id fit prudenter, quando maximè non desunt homines inquieti Iuribus tuis insidiantes. Sæpè Dominus rogando exprimit obsequia à servo. & interest, vt ille non tantum ea præstet, sed vt propensa etiam obsequendi voluntate. Hinc est quod Wladislaus in sua dispositione Regni, cum profiteatur suos liberos esse hæredes, tamen dicit: Ludovicum filium à Statibus bona & libera voluntate receptum, coronatumque fuisse. Libera inquam, non vt opponitur debitæ; sed quâ id etiam, quod debitum est promptè atque ex animo facimus. nam coactè facere, servile est: sed facere ita promptè, ac si non debeas, ingenuum.

Quòd autem jactant: Reversales à prædictis Regibus datas; miror, ex illis non fuisse aliquid productum; vnde constaret: recognovisse Reges illos non debitò, sed gratuitò se fuisse receptos. quale siquid fuisset: haud dubie boni isti Domini proclamassent. Sed quid audacius, quàm affirmare: FERDINANDVM I. filio suo Maximiliano obtinuisse precariò Successionem; quando ille pro hæreditaria asserenda tam diligenter laboravit, & evicit, atq; inter Constitutiones Regni pro æterna lege de consensu

 Or-

Ordinum æternum sancivit? Adde, quòd in Codicillo ad hanc rem condito, testatum reliquerit hoc ipsum jus hæreditarium. vt ridiculum sit affirmare, illum aliter filio suo Regnum obvenire voluisse. Et verò quî fieri poterat, vt FERDINANDVM II. (quod ipsi fatentur in prima causa) eligi nolentem, sed recipi: insitato exemplo admitterent, si priores Reges libera & gratuita Electione suscepti fuissent? Ac si Reversales aliorum id continebant: quomodo à FERDINANDO II. similes non sunt petitæ? Sed libet verba Codicilli FERDINANDI ex Germanico reddita, hîc apponere;

Non possumus intermittere ex paterno & fideli amore, quin nostros caros filios certiores faciamus; quod Nos ante aliquot annos circa initia Regiminis nostri Bohemici ad diligentem instantiam statuum Regni nostri Bohemici, & ex ignorantia veri fundamenti, ejusdem Regni Statibus publicum & conscriptum testimonium dederimus: quòd Nos ex libera voluntate in Regem suum elegerint, & acceptaverint; sed elapso tempore: cum lustraremus nostri Regni Privilegia & Statuta; & inter cætera maximè prædecessoris Nostri defuncti Cæsaris Caroli IV. Bullam: dilucidè deprehendimus, quòd nostrum Regnum Bohemiæ, quamdiu supersunt ex Regio sanguine, sive masculi, sive fæminæ, non pertineat ad Electionem Statuum; sed cadat in superstites Regij sanguinis personas. Inde cum ejusdem Regni Bohemiæ Statibus effecimus, vt supradictum testimonium & recognitionem nobis reddant; & recognoscant, quòd Regnum hoc non per Electionem, sed per legitimam hæreditatem & successionem ad Carissimam nostram Conjugem, honoratæ & felicis memoriæ, tanquam hæreditariam Reginam & Dominam transierit, & per illam ad Nos derivatum sit. Quæ omnia Dilectionibus vestris pro bono & commodo significanda duximus, vt secundum ea vos dirigatis.

Ter-

HÆREDITARIÆ SVCCESsionis, ex Regni Constitutionibus.

A. I.

IN Titulo, de Electione Regis. *Quandocunq; res eò devenerit, vt vigore privilegiorum hujus Regni, videlicet Aureæ Bullæ Cæsaris* Caroli IV. *Regis Wladislai Dispositionis, moderniq; Regis* (FERDINANDI) *Domini nostri Reversalium super hoc Statibus elargitarum, Rex Bohemiæ eligendus esset: Tunc eligi debet ita, prout antiquitus fuerat observatum, & quidem in arce Pragensi.*

B. XX.

S*I autem omnes tres Status de Rege, re eò deducta, vigore privilegiorum, nempe Aureæ Bullæ Caroli IV. Dispositionis Wladislai gloriosæ memoriæ, Reversalium Suæ Regiæ Majestatis literarum super hoc Statibus elargitarum, consenserint, & Regem elegerint. Tunc Burgravij Carlsteinenses debent illi Electo Regi post coronationem, Arcem, Coronam, & Clenodia cedere: mandato illis ab omnibus Statibus facto, prout superius scribitur.*

ITEM IN TITVLO DE Iudicio Regni; quomodo, & quando observari debeat?

I*Vdicium Regni absq; vllis impedimentis progressum suum habeat, & duret; Et si interea Rex, ex permissione Divina absq; hæredibus de hac vita decesserit, vigore Privilegiorum hujus Regni, nimirum Aureæ Bullæ Cæsaris Caroli IV. Dispositionis Regis Wladislai gloriosæ*

riosæ memoriæ, & Reversalium Regiæ Majestatis super hoc Statibus elargitarum: aut quamvis hæredes extiterint, nihilominus continuò Iudicium Regni procedat & duret.

Hactenus in constitutionibus Regni, quæ, auctoritatis quantæ sint, ex conclusione illarum intelligetur, in qua ita habetur, in Titulo.

CONCLVSIO CONSTITUTIONUM Regni.

Z. II.

BArones & Nobiles Iudicium Regni aliaq; Iudicia ita observare, ac judicare debent, qualiter Iuramentum præstiterint super hasce Constitutiones Provinciales, prout antiquitus observatum fuit, justumq; esse cognoverint. Et ibi poterit quilibet apud illud judicium allegare præjudicatum pro sua causa: prout antiquitus observatum fuit; & secundum formam harum Constitutionum, quæ in hoc jure conscripta sunt, quilibet vindicare actionem debet, post sententiam; &, post judicium de contumacia latum, executionem vrgere: & qualiter ea fieri debeant, Constitutiones normam præfigunt.

Item Z. IV.

CVm voluntate Regiæ Majestatis in Comitijs Publicis Principes, Barones, & Ordo Equestris, quæ scripta hisce in Constitutionibus de Tabulis insinuatum, pro jure habenda definiuerunt, & confirmarunt. Ea quidem à nullo homine absq; scitu Regiæ Majestatis, votoq; Baronum & Ordinis Equestris infringi debent: Barones enim cum Equestri Ordine semper illam voluntatem, ac libertatem habebant cum voluntate Regiæ Majestatis in Comitijs publicis, legibus suis addere, vel demere. Et adhuc vterq; Status hanc sibi libertatem reservat, in quamcunq; rem isti duo Status in Comitijs publicis consenserint, Legibus suis cũ voluntate Regiæ Majestatis addere, vel demere. Cæte-

Cæterùm, cùm tam claræ apertæq; sint Constitutiones, Commentario non egent. Disertè enim sancitur, vt juxta Auream Bullam Caroli IV. & Wladislai Regis Dispositionem procedatur. Per vtriusque autem Diploma constat, etiam fæminas esse Regni hæredes. Additur etiam: juxta moderni Regis Domini nostri Reversales, nimirum FERDINANDI I. quas tamen ipsi à Tenebrione quopiam volunt esse suppositas: cum inter Authenticas Regni leges referantur. Et illud quoque observatu perutile est, quòd Constitutiones Regni Electionem passim nominant: tametsi hæreditarij Domini, Receptionem: vt minus etiam mirum sit, quòd Fridericus II. in suo Diplomate eâdem voce abusus fuerit, vt illic adnotavimus. Hactenus ex Iure Regni, quod, vel solum sufficeret.

Subijciamus quoque formulas Iurisjurandi, quo se Regni Officiales Regi, & Regno obstringunt: quæ inter ipsas etiam Constitutiones recensentur. Nam & illæ disertissimum Testimonium perhibent, quòd ad Hæredes Successio pertineat.

Juramentum

SVPREMI BVRGRAVII Regni Bohemiæ.

B. III.

*I*VRO *Domino DEO, Omnibus Sanctis, Serenissimo Principi ac Domino, Domino FERDINANDO, Romanorum, Vngariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, & Suæ Regiæ Majestatis Hæredibus, vel qui tandem Rex esset, &c. Omnibus Dominis, Equestri Ordini, & vniversæ Regni Bohemiæ Communitati, Diviti, & Pauperi, in hoc, ad quod vocatus sum, Officio supremi Burgraviatus Pragensis, Veritati patrocinari, & injuriam damna-*

re. Et hoc neq; propter gratiam, neque propter disgratiam, neq; propter ullam rem aliam. Sic me DEVS adjuvet, & omnes Sancti.

Juramentum

BVRGRAVIORVM Karlsteinensium.

B. VIII.


VRAMVS Domino DEO, Omnibus Sanctis, Serenissimo Principi ac Domino, Domino FERDINANDO, Romanorum, Vngariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, & Suæ Majestatis Hæredibus legitime à sua Majestate provenientibus: & omnibus Dominis, Equestri Ordini, Nobilibus, & universæ Communitati Regni Bohemiæ, &c. Quòd istam arcem Karlsteinensem cum Corona, & omnibus Privilegijs ac Klenodijs Regni, quæ nobis tanquam Burgravijs à Sua Regia Majestate, & Dominis, Nobilibus, & universa Communitate Regni Bohemiæ concredita sunt, fideliter, ac diligenter servare debemus, & rectè cum his omnibus agere, Suæ Regiæ Majestati, ejusq; Hæredibus, & universo Regno. Quòd si DEVS permitteret, vt Rex ac Dominus noster absq; Hæredibus moreretur: tunc Arcem Karlsteinensem nulli debemus cedere, neq; Coronam tradere: sed cùm Domini, Ordo Equestris, & tota Communitas Regni, B. pari voluntate de Rege consentirent, eumq; ipso facto eligerent, & pro Domino acceptarent ita, vt antiquitus fiebat, juxta consuetudinem, jus, & Privilegia Regni, B. Tunc mox & quamprimum debemus, & promittimus, Coronam absque ulla repugnantia Dominis, & Equestri Ordini, ac universæ Communitati tradere: nihil ad id nobis in auxilium acceptando, quod humana ratione excogitari possit. Post Coronationem verò, quādocunq; moneremur, debemus etiam Regi futuro Karlsteinium in potestatem tradere. Quòd si nos ita non geramus (quod DEVS avertat) sive in toto, sive in parte: agnoscimus, quòd id ageremus

(vel

(vel patraremus) contra nostrum honorem: ipsum honorem, vitam, & facultates nostras perdituri, nullo unquam tempore in æternum ad ea restituendi. Sic Nos DEUS adjuvet, & omnes Sancti.

Juramentum


CAPITANEI ARCIS Pragensis.

B. VII.

IURO Domino DEO, Omnibus Sanctis, Serenissimo Principi ac Domino, Domino FERDINANDO, Romanorum, Ungariæ, Bohemiæ, &c. Regi, &c. tanquam Regi Bohemiæ, & Suæ Regiæ Majestatis Hæredibus; Omnibus Dominis, & Nobilibus, ac Universæ Communitati Regni Bohemiæ: quòd in hoc Officio, ad quod vocatus sum, scilicet Capitaneatus Arcis Pragensis, fideliter & rectè me gerere; Eandem Arcem fideliter & rectè curare: sua Regia Majestate me in hoc dirigere volo. Quòd si permissu DEI vita decederet Rex absque Hæredibus, (quod DEUS avertat) tunc, quòd me cum hac Arce Pragensi nemine dirigere, neq; ad ullum alium respectum habere debeam, nisi ad Summum Burgravium Pragensem. Sic me DEUS adjuvet, & omnes Sancti.

Cernis, quemadmodum præcipui Regni Officiales, tùm Regi, tùm Hæredibus fidelitatem promittant? Et erunt, qui disputare audeant, immò contendere: Regni Bohemiæ nullos esse hæredes? id quod, an ignoratione Regni Iurium, an perturbatione potius animi faciant: alij statuant. Sperandum autem est; re tam perspicuè demonstrata, & in publicum semel producta: nec ipsos in posterum refragaturos: quando non amplius imponere vulgo poterunt. nec verò ipsi volent protervię notam incurrere.

AD PRIMAM Causam.



LIbet jam, juvatq; Dictorum summa capita paucis colligere, ac velut in exigua tabella tibi, O Inclyta Bohemia, spectanda proponere.

Iam inde à primo ferè exordio tui Principatus, ad illum vsq; Wenceslaum, qui Iuditham Rudolphi I. Imperatoris filiam accepit vxorem, Bohemicorum Principum sanguis absque interruptione per viros semper felicissimè propagatus est. In hujus autem Wenceslai filio, item Wenceslao, stetit propago, & per fæminas deinceps manare perexit. Ex quo tempore tres Familiæ Nobilissimæ, velut in truncum Regium insitæ fuerunt, atque in sanguinis Sceptrique communionem adscitæ: Lucemburgica: Austriaca: Polonica. Porrò singulæ tamdiu Sceptrum tenuerunt, quamdiu ex illis Proles extitit: qua deficiente, rursum altera adscita est familia per sanguinis Connubium eodem jure. Hinc evenit, vt à Przemislao I. ad FERDINANDVM II. qui modò oppugnatur, Clarissimus Bohemiæ Principum, Regumque sanguis, rara felicitate permanaverit.

Nunc, te appello, Inclyta Bohemia! age, compone motus animi; & æquabili tranquillitate mecum expende: quidnam tibi, vel ad vsum vtilius, vel ad nomen clarius, vel ad debiti Officij partes magis necessarium sit: Vtrumne limpidissimos latices perenni cursu defluentes per tot ætatum Principes, ac Reges, à Solio, Regnoque tuo, intercisis Canalibus avertere; proq; viva, & expertæ bonitatis aqua, novas tibi cisternas effodere? an potius juxta ripam hujus quasi fluminis amœnissimi, qui lætificat Regnum Vniversum, placidè considere, & optata pace, bonisque omnibus affluere? Ad vtilitatem, quod attinet, initia & progressus docent,

quàm

quàm tibi hæc prævaricatio cladem allatura sit, si pergas desipere. Gloriam verò nominis amittes omnem, dum Innocuum Sanguinem & Avitum vi, armisque persequeris, ac delere paras. De æquitatis debito, quid dicam? Certè, vbi nulla etiam suppeterent Hæreditatis jura, promeruit abs te tantum Regius Sanguis, qui in vna adhùc Austriaca familia conservatur: vt ipsum à possessione tam antiqua non eijcias, & exulare velis.

Quòd si te nec Honestas movet; cogat Iustitia, quæ istud à te severissimè requirit. Ostensum enim supra fuit: quoad stetit Virilis Propago, absque controversia Principatum ad hæredes semper fuisse devolutum. Posteà verò per Connubia Regij sanguinis fæminarum, instauratam fuisse Successionem; & qui externi Principes eo pacto adsciti sunt in Sceptri societatem: jure deinceps hæreditario ad posteros suos Coronam Regiam transmisisse. Id Ioannes ex Lucemburgica Domo fecit: id Albertus ex Austriaca: id Wladislaus ex Polonica: id FERDINANDVS iterum ex Austriaca, qui id etiam, quo perennior esset, certiorq; Successio, consentientibus Regni Ordinibus, lege perpetua inter Constitutiones Regni referendum curavit. Vsus itaque viguit perpetuus. Porrò privilegia nulla extant vsui contraria. Nam Fridericus II. illud vnum indulget, vt Bohemiæ Principatus deinceps jure perpetuo (quod eousque non fuerat) Regnum foret; ac, siquando Successio intercideret: is demum esset Rex, qui à Statibus ritè eligeretur. Idipsum Carolus IV. cofirmavit, atque in Bulla Imperij aurea, cum declarasset: Electoratus omnes esse hæreditarios: etiam Bohemicum: id tamen amplius Bohemiæ concedit; vt, deficiente hærede, non devolvatur ad jus Imperij, sicut reliqui Electorum Principatus; sed Status sibi eligant in eo eventu Regem, qui à Cæsare tamen confirmari, & investiri debeat.

Adversus hæc omnia, contra vsum ita constantem, contraq; Privilegia, Sanctionesque Cæsarum, claras, atque perspicuas obtrudunt vnicum Georgium Podiebradium, in quo discessum est

 à con-

à consuetudine, & ab Imperatorum Statutis; addo: à jure & æquitate. & nunquid vna hirundo faciet ver? & an vno facto præscribetur toti Regum Prosapiæ? quod proinde statim correctum est, Wladislao in regnum vocato; qui ex Sorore Ladislai Bohemię Regis ortus erat. Et quando tunc præscriptio vim habere potuisset; & proinde Electivum jus ex vno illo actu erupisset: an non novo isti juri postea derogatum est: cum sub FERDINANDO I. in Comitijs Regni communi suffragio constitutum fuit, vt juxta Caroli IV. Declarationem, & Wladislai dispositionem, & Ferdinandi I. posteriores Reversales, in Rege subrogando procedatur? Quod etiam inter Regni Leges adscriptum est, & postea diligenter observatum.

Vide jam, quam frivolam Altera pars abdicandi Regem FERDINANDVM adferat causam: quod Is non fuerit arbitraria electione assumptus, sed quasi ex debito receptus. Et quisnam alius Bohemię Rex illo modo est electus absque jure sanguinis, præter vnum Podiebradium? At verò Nos, longè aliter pro FERDINANDO argumentamur. Nam primò: Majorem propositionē ex Regni Constitutionibus A. 1. sumptam hanc præmittimus: Auream Bullam Caroli IV. & dispositionem Wladislai, & Ferdinandi I. Reversales, oportet observari; quibus omnibus statuitur: Regnum Bohemiæ esse hæreditarium; non autem liberæ Electionis, nisi in casu, quo Hæres nullus ęst. Minor autem propositio conceditur ab Adversarijs, quæ est talis: Atqui FERDINANDVS juxta prædictam Regni Constitutionem est assumptus in Regem: ergo est legitimus Rex. Subsume tu aliter: sed Intrusus Palatinus non est juxta prædictam Regni Cōstitutionem adscitus in Regē: ergò non est Rex. Tu dixisti: quia ille nō est Rex. Quem proinde admonitum esse cupimus, vt etiam atque etiam consideret, quid agat? quo jure, quorum suffragio involat in Regium caput; & quale id? & quantum? jure nullo; mera vi; suffragantibus seditiosis.

Se-

IVRATVM REGEM & coronatum abdicandi.

QVòd susceptio illa, & Coronatio, Anno millesimo sexcentesimo decimo septimo, vivo adhuc Divo Matthia Cæsare, peracta, artibus sit quæsita & dolis: vocatis in subsidium perfidis quibusdam Patriæ & Regni hujus Proditoribus, donis & pollicitationibus corruptis, alijs gravibus minis eò adactis. Nihilo tamen secius, neq; id sine conditionibus factum est; quas nisi ipse impleret: Status ei nullo obsequio obstricti essent.

RESPONSIO AD SEcundam Causam.

SVsceptionem & Coronationem Regis FERDINANDI II. non fuisse ritè factam probant Doli, Dona, Minæ. Hoc prætexit Causa proposita. Restat, vt etiam ostendatur: esse verum. Ex Confirmatione autem hujus causæ colligi possunt istæ probationes. I. Quòd, cum indicerentur Comitia propter Regem, inhibitum fuerit, ne in illis tractaretur aliud quidpiam: quod veteri consuetudini repugnat & Legi. II. Quòd propterea complures ex Statibus comparere ad tam insolentia Comitia gravati fuerint; quique adfuerunt, suffragia sua eò direxerunt, quòd hoc pugnet cum Libertate, Regniq; Privilegijs. III. Quòd incorporatæ Provinciæ ad Electionem non fuerint vocatæ: quibus tamen promissum erat, fore, vt in primis Comitijs decerneretur: An jus suffragij haberent, quod prætendebant. IV. Quòd Proditores Patriæ intentarint minas de vita ijs, qui dissentirent.

V. Quod

V. Quòd Pontificij omnes ex Compitis collecti fuerint, vt numero suffragiorum superarent.

Ad I. de Indictione Comitiorum, sic accipe. Vt Ordinariè in Comitijs liceat quoque alia proferre, præter ea, quæ à Rege proponuntur: tamen, vt nunquam possit secus fieri, ob justas causas; abhorret prorsus à ratione. Atque illud intelligendum est de Comitijs consuetis; non quæ ob extra ordinariam causam indicuntur; præsertim talem, ad constituendum Regni Successorem. Quod vel solum negotium meritò sibi postulet Comitia. Quòd si verò aliqua forent, ipsam acceptationem Regis concernentia: hæc proculdubio in ferendis suffragijs afferri potuerunt: si autem Successionem non attinebant, & posterius fuerant tractanda: cur istorum omissio, atque in aliud tempus prorogatio debeat infirmare Electionem sive Receptionem Regis ritè factam? Quin formula ipsa literarum, quibus Regis causâ fuere indicta Comitia, Officialibus, Regnique Consiliarijs ex vtraque Religione prius fuit exhibita, probataq; ab omnibus, quàm evulgaretur: & sumetur inde jam argumentum ad Comitia ipsa infringenda?

Ad II. Quòd propterea minus frequentes convenerint: vt ita esset: non ea certè ejus rei potuit esse ratio, quòd Negotia post Electionem, alia non essent pertractanda. nam sola Successoris Acceptatio, plus satis præ negotijs omnibus ad conveniendum invitabat. Neque præsentes suffragia sua illùc direxerunt, vt causarentur: contra libertatem id esse Regni. Et quinam illi id fecissent, cum præcipui quique, etiam sub Vtraque, quorum præjudicium cæteri sequuntur, formam illam indicendorum Comitiorum prius comprobassent, & intimandam judicassent? Et quomodo infrequentes adfuerunt; quando primarij omnes, & ij ipsi Directores, qui nunc reclamant, & quidquid denique erat nervi & auctoritatis in Regno, adfuerit tunc; & promptissimè suffragatum sit? Et cum qua tandem pugnat libertate, sive Privilegio, vt Co-

Comitia pro solo Rege celebrentur, alijs tunc postpositis negotijs? quid hoc ad libertatem vel servitutem facit?

Ad III. De Incorporatis Provincijs ad Comitia non vocatis: est quod magnopere admiremur. Nam cum Bohemi semper pro aris contenderint, nihil alijs juris esse ad eam rem: modo tamen, vt FERDINANDVS non videatur jure assumptus: vltro illis jus concedunt, ad Regis subrogationē: & quoniam advocatæ non sunt, quæ nunquam suffragatæ fuerunt: admissio Regis censenda est vel ipso facto irrita, vel certe irritanda. Sed quæso, promite; quis alius vnquam Rex à Bohemis ita susceptus est? An Matthias? An Rudolphus? An Maximilanus? an FERDINANDVS? an quis alius? Quòd si nullus; & illi tamen omnes, legitimi extiterunt Reges: cur vnicus modò FERDINANDVS propterea exauctorabitur? At Silesij moverant controversiam. Sed, nunquid fuerat adjudicata illis causa? Iussi erant proferre si quid haberent juris; designatique ad cognitionem fuerant aliqui: interea autem neque protulerant quidquam, neque probaverant. quonam ergo pacto vocari, vel admitti potuerunt, absque insigni Bohemici juris præjudicio? At, debuerant differri Comitia pro Rege: donec ea decideretur causa. Quamobrem ita? an non eo ipso plurimum juri suo Bohemi derogassent: si à Regis susceptione propterea destitissent? Immò, si saperent: vel propterea debuerunt Bohemi, illis posthabitis, ad subrogationem Regis procedere. Et quorsum tandem in FERDINANDI Regis præjudicium producitur nunc Silesia: cùm ipsamet in suscipiendo illo nihil planè moverit, aut prætenderit ejusmodi: sed alacris & gratulabunda eum exceperit; Homagium, ex antiqua consuetudine, Regi FERDINANDO & hæredibus ejus præstiterit; omnibusque coluerit officijs? Nimis hæc sunt frigida, & inania: vt idcirco FERDINANDVS non videatur jure assumptus.

Ad IV. Crescit Accusatio. vis illata est. ô diros scilicet Principes Austriacos, & violentas inferre manus olim assuetos! Arma-

to fortaſſe milite circumſeptus Senatus, dicere debuit? FERDINANDVM Regem, ſi modò vellet vivere? At, non ipſi Principes per ſeipſos, ſed per Patriæ quoſdam proditores, vim intentaſunt. Cur iſti non producuntur? Parcitur nimirum famæ illorum à juratis & capitalibus inimicis. Saltem donis & pollicitationibus corrupti ſunt ſuffragatores. quinam? non illi certè, qui pro tuenda fide Regi ſemel data jacturam fecere bonorum omnium; quibus hauddubie antiquior eſt Iuſtitia, quàm aurum: vt propter hoc non fuerint ab æquitate diſceſſuri. Sed quid tandem vi, dolis, donis effectum eſt, per illos proditores? Vt reciperetur FERDINANDVS. Prô nefas! ſi hoc effectum: vtique quod juris erat. Nam liberis Maximiliani II. renuntiantibus FERDINANDO quod habebant jus; & ſiqui alij aliquod prætendebant, pariter cedentibus: vtique FERDINANDO Regnum Bohemiæ ex hæreditate debebatur. Igitur, oportuit, minis & donis, obtinere jus? Quod, vt ita haberet: non tam FERDINANDVS accuſari; quàm illi deberent, à quibus impetrari debitum officium non potuit, niſi intentata vi; aut excogitatis artibus; vel non, niſi pretio, redimi. Dicam apertius: quænam illa vis extiterit. Vis compertæ veritatis: qua nihil fortius. Productæ ſunt Regni Conſtitutiones; producta Privilegia tam clara & aperta: vt qui vel maximè adverſabantur, tam perſpicua veritate compulſi ſint (quamvis alioqui inviti) FERDINANDO ſuffragari. Hæc eſt vis, qua conſternati agnoverunt jus hæreditarium FERDINANDI, eique ſubſcripſerunt. Poſtea verò, vt defectionem ſuam quovis colore obtegerent: commentari ſuper Privilegia ſua cœperunt, parum feliciter: vt oſtenſum eſt in prima Cauſa.

Ad V. de corrogatis Catholicis ex vicis & Cauponis: id parum ad rem: dum ſuffragari jure potuerint. Sed profectò, cum ex vulgari Nobilitate inter Catholicos pauci numerentur præ Acatholicis: in hos potius iſta corrogatio convenire poteſt. Certè

hoc

hoc argumentum ad evertendam Comiciorum auctoritatem valet nihil. Si in promptu essent nomina eorum, qui illis Comitijs subscripserunt: liceret ex Tabulis argumentari: at quoniam præ manibus non sunt, quæremus ex ipsismet, vtra fuerint celebriora, FERDINANDINE Comitia, an Novi? In illis adfuere omnes vtriusque Religionis Proceres, qui officio publico, vel authoritate valebant; & consensere omnes cum eximia prędicatione laudum Regis FERDINANDI. At ab istis quot, & quanti Viri abfuere? & quantò in his minus libertatis ad refragandum fuit, quàm in prioribus? Conscientiam cujusque in testem voco, dum libeat auscultare. Aptè illud in mentem venit Ennianum: O domus antiqua, quàm dispari Domino dominaris! vbi vetus Comitiorum celebritas? vbi priscum decus? vbi Majestas?

Itaque FERDINANDI susceptio non pręvaluit per partium contentionem; non vllum ibi suffragiorum dissidium ex discrimine Religionum; non isti illos numero vicerunt: sed vna mens omnium, vna vox, vnum suffragium. quid ergo attinet, Catholicos ad calculum revocare: fuerintne plures cæteris? quanquam nec fuisse plures facile conijci potest: cum vniversi cæteros non adæquent multis partibus.

Ecce jam, quibus rationibus efficere volunt: Comitia illa fuisse vitiosa; proindeque irritanda; & FERDINANDVM Regem, tanquam non ritè admissum, excludi Regno oportere. Verùm, neque jus FERDINANDI ex libera ipsorum Electione pendebat: & Comitia rectè ac ordine peracta sunt. quæ duo ita sunt evidenter demonstrata; vt præstitisset, nihil penitus ad excusationem facti sui adferre: quàm illud tam malè propugnare. Sed fortè, satis eis fuerit, imponere vulgo: cùm oporteret in re omnium gravissima, suas actiones prudentibus maximè probare.

IVRATVM REGEM & Coronatum abdicandi.

Quòd dictis conditionibus non steterit: sed Iuramentum Statibus præstitum, & Reversales Provincijs à se datas, multifariam violaverit; quin immò vivo adhuc Cæsare Matthia, non tantum fascibus Regni sese immiscuerit; verùm etiam, cùm vivo, tùm longè magis mortuo Cæsare, harum Provinciarum apertum hostem sese declaraverit: idq; eo fine potissimum, vt Christianam Evangelicam Religionem in ijsdem Provincijs eradicare; Status Regni, & incorporatarum Provinciarum libera Regis Electione, vt & alijs Privilegijs exuere; & sub jugum Hispanicum mittere posset. quo pacto semetipsum omni eo jure, quod à morte Cæsaris habere potuisset, destituit; & provincias à memorato Obsequio penitus liberavit. quemadmodum omnia illa justo scripto Apolegetico, vniverso Orbi solidè declarabuntur.

Responsio AD TERTIAM Causam.

GRaves omninò accusationes sunt istæ. I. Quòd perjurus sit: non servatis conditionibus, & Reversalibus. II. Quòd se apertum hostem declaraverit, & præstiterit. III. Quòd Evangelicam Religionem extirpare voluerit. IV. Quòd liberam Electionem abolere. V. Quòd sub jugum Hispanicum mittere Regnum & Provincias.

Porrò, in probatione hujus tertiæ Causæ congerunt varia, quæ nos in ordinem redacta, ad singulas criminationes integrâ fide referemus.

Prima

Prima Criminatio. *Est perjurus: quòd*, inquiunt, *conditionibus non steterit: sed juramentum Statibus præstitum, & Reversales Provincijs à se datas violaverit.* Hoc ita confirmant: I. Quia Cardinalem Kleselium idcircò amovendum curavit. II. Militem, quem Goritiæ habuerat, evocavit: ac in Regnum immisit. III. in Moravia Comitijs præfuit contra Regnum: & minis, ac lenocinijs extorsit tunc, ne Moravi suas copias jungerent cum Bohemicis; neve darent transitum per Moraviam auxilijs Bohemorum.

Adhæc sic habeto. Prima probatio levissima est. Cardinalis Kleselius ablegatus est ab Aula: ergo FERDINANDVS vsurpavit Regni gubernationem. Quonam modo? nam neque FERDINANDVS ejus rei fuit præcipuus auctor: & Cardinalis nec membrum erat Regni Bohemiæ; nec vllum in eo gerebat publicum Officium: nec propter Bohemos ablegatus est. & tandem non id egit, si quid egit, vt Gubernator Bohemiæ; sed vt Princeps Austriacus, pro bono, vt putabat, publico, suæque Domus. Cujus facti non est alijs reddenda ratio. Nec secunda ratio est solidior. Militem Goritiensem contra Rebellantes Bohemos misit: ergo invasit Regni administrationem. Id vt ita sit, quòd illum militem accersiverit. sanè qui laborat pro recuperando Regno debito: neutiquam illud administrat, quod nondum possidet. Nec sibi illud quærebat FERDINANDVS: sed Matthiæ. Alioqui etiam gubernationē affectasse dicendi forent, quicunque auxilia eam in rem contulerunt. Et, an inter juratas Conditiones erat, vt FERDINANDVS Invictissimum Imperatorem Matthiam adversus rebelles, qui Regno illum exuerant, Dominatum occupaverant, Officiales Regios præcipites egerant, formam Regni mutaverant, atque in cœptis pertinacissimè persistebant; vt contra hos FERDINANDVS Patrem, ac Dominum suum, non omni ratione qua posset, juvare contenderet? An non Matthias ipse juramento obstrictus erat erga Regnum?

gnum? an propterea perjurus fuit, quod jus suum vendicare hiteretur? Annon licuit FERDINANDO jurato Regi, præstare suam operam Matthiæ: vbi ille non juratus modò, sed possessionem quoq; Regni adeptus, pro jure suo justissimè decertabat? & an non ipsi vicissim rebelles Iusiurandum fidelitatis præstiterant, tùm Matthię, tùm FERDINANDO? & non erunt ipsi perjuri, rebellando, vsurpandoque Regnum vi & armis, & tot illa mala perpetrando? erit autem vel FERDINANDVS, vel Matthias, compescendo seditiosos, atque eorum conatibus resistendo? Vana igitur prorsus isthæc sunt: vt propterea perjurij accersatis reum, sanctissimum, atque innocentissimum Regem vestrum FERDINANDVM: cumquo simul, ac majore etiam jure Matthiam ipsum involuitis. nam Reges vestri ambo, pariter devincti, immo Matthias amplius: & erit FERDINANDVS perjurus obsequendo Matthiæ: vbi iste non est jubendo? Furor mentē eripit, & contumacia abstergit pudorē. Tertia deniq; probatio similis est cæteris. FERDINANDVS præfuit Comitijs Moravicis nomine Imperatoris Matthiæ, & illius negotium promovit: ergo est perjurus. Si id recte: etiam illud: FERDINANDVS nomine Rudolphi præfuit Comitijs Imperialibus, causamq; ejusdem egit: ergo vsurpavit Imperij gubernacula contra jus, fasque. At rogo vos, cujusnam Causam in Comitijs promovere debuit FERDINANDVS Rex? vestramne omnis expertem æquitatis: an Matthiæ justissimam? privatamne rebellium: an publicam Regni?

Secunda Criminatio: *Est hostis Patriæ. Quia*, ajunt, *vivo adhuc Cæsare Matthia, non tantum fascibus Regni sese immiscuerit; verum etiam cùm vivo, tùm longè magis mortuo Cæsare, harum Provinciarum apertum hostem sese declaraverit.* Patientia profectò magna opus est, ad ferendas ineptias: Sed obfirmemus tamen animum, ad sustinendum, patienterque audiendum. Probant Crimen ex duplici capite; tùm ex gestis sub Matthia, tùm post illius obitum.

tum: Ad prius ista pertinent: I. Post Coronationem Regis valde insolentes facti sunt Catholici: vt pluribus locis Evangelicos persequi, & exercitium Religionis ipsis impedire contra Diploma Majestatis aggressi sint. II. Templa Evangelicorum clauserint,& solo æquaverint. III. Homines innocuos gravibus & diuturnis vinculis vexaverint. IV. Statibus accessum ad Cæsaream Majestatem intercluserint. V. Conventus prohibuerint contra clarum textum. VI. Non vocatos in jus, nec auditos condemnaverint. VII. Quòd Iesuitæ de Regis Coronatione exultaverint, atque affirmaverint: Regem olim se juramento obstrinxisse, nihil se vnquam Sectarijs concessurum. VIII. Quòd proditores Patriæ Cæsari demortuo persuaserint, vt nulla vrgente necessitate, externum militem induceret contra Sanctiones Regni; & illud vastari passus sit. Quæ omnia probata FERDINANDO; quin consilio & operâ ipsius patrata sunt. Hactenus, ex gestis sub Matthia. At, si hostis FERDINANDVS, quia in talia consensit: quanto magis Matthias, qui præcepit? si tamen vel hic præcepit, vel ille suasit, vel etiam ita facta sunt. Sed percurramus singula.

I. De Insolentia, qua Catholici protinus voluerint exercitium Evangelicorum sublatum, probant nihil. Nos contrà, experimur, sub brevi isto dominatu, Avitæ & Catholicæ Fidei vix restare amplius aliquod vestigium. Quippe haud paullò diligentiores ipsi sunt in extirpanda vetere Religione: quàm in promovenda, Catholici.

II. Mirùm, quòd ausint commemorare templa: quandò ipsi momento pæne omnia Catholicis eripuerunt! in quo si ita ex jure processissent, ac Matthias fecit: vtique nullum recepissent. Verùm, ipsis quodvis nefas pro jure est: Catholicis autem nullum jus, nulla æquitas suffragari debet. Ac, ne dissimulare videamur, res ita habet. Ædificabantur in fundis Ecclesiasticorum duo templa à subditis ipsorum contra fas, invitis Dominis, atque repu-

gnan-

gnantibus. Interpellatus Cæsar, mandavit: ædificationem tantisper intermitti, dum res cognosceretur accuratius; aliudve statueretur. Nihilominus, fideles scilicet, Defensores Regni, promoveri opus jubent. Adjudicata est tandem causa, Fundi Dominis, id postulante justitia, templaque in eorum potestatem tradita. ex illis alterum, quod rude adhuc erat: visum est loci Domino, diruere, ipsismet subditis non abnuentibus. Hoc est Crimen sub Matthia patratũ. propter quod FERDINANDVS, hostis Patriæ pronuntiatur. quid porrò futurum: si FERDINANDO regnante, atque mandante, templa illa fuissent legitimis Dominis adjudicata? vel si ab illo eversa? At neque FERDINANDVS quidquam egit: & postquam templa justis Dominis tradita fuerant, & desierant esse sub Vtraque: quid isti dolent, aut criminantur fuisse subversa? neque enim ipsis sed Catholicis perierunt: & ex illis vnum tantum; cujus non erat vsus, veteri templo adhuc extante. Itaq; non Evangelicorum templum dirutum est: quando eorum esse, jure desierat.

III. Porrò ridiculum est, quòd homines innocuos vocant, qui mandatis Cæsareæ Regiæque Majestatis in negotio templi jam dicti rebelles extiterant: quodque ejusmodi vulgarium hominum custodiam minimè arctam, & paucarum hebdomadarum tantoperè exaggerant. Illud verè iniquum & crudele: quòd tot Viros Venerabiles, atque Illustres vtriusque Capituli tum Cathedralis Olomucensis, tum Collegiati Brunensis, Prælatos & Canonicos, direptis eorum domibus, bonisque omnibus interceptis, ipso sex menses in vnam compactos domum dirè macerarint. Nam, quod Moravi faciunt, Domini probant Bohemi in Exitium fidelium Regię Majestatis: quorum crimen hoc est vnicum: fidem servasse.

IV. Hostilis animi argumentum promunt: aditus ad Cęsarem interclusos: cui? à quo? quando? & quid istud ad FERDINANDVM? Is videlicet agebat Cubiculi Præfectum. An non

non pudet, talia comminisci, ad Regem Clementissimum exturbandum?

V. Sed de interdictis Conventibus queruntur? quis interdixit? an FERDINANDVS? nequaquã. Cur autem interdicti? quia parturiebatur jam tunc infelix partus: quando mandata Cæsaris palàm contemnebantur, atque adversus illa decernebatur. In quo periculo quidni Matthias Rex vetaret eos conventus, quibus seditio parabatur? atque hoc est crimen, quod à Matthia in FERDINANDVM transferunt, vti omnia odiosa.

VI. Si inauditus quispiam damnatus est: quisnam? qua pœna? quid, obsecro, facilius, quàm mille sic calumnias innocenti struere? quando ne respondere, qui accusatur, possit: nihil nominatim producitur, non solùm probatur nihil. Prome, ostende: actum demum referes responsum.

VII. Iesuitarũ dicta nihil moramur: An tale quid de FERDINANDO affirmaverint, scripserintve, parum ad rem. Certè FERDINANDVS, si posset omnes ad suam fidẽ pertrahere: haud dubie pergratum illi accideret; quemadmodum & Evangelicorum vnicuique, si ex Catholicis Vtraquistas reddere posset. Porrò nunquam FERDINANDVS affirmavit, vel Iesuitæ de illo contestari potuerunt: nolle illum præstare fidem, si quando eam obstringeret, pro Libero exercitio Evangelicis permittendo.

VIII. Arma Bohemiæ illata postremum sunt hostilis animi argumentum. Certè hostili animo illata non sunt; sed quando Paterna non juvabat Pietas: oportuit disciplinam adhibere. Et vtri se prius armarunt? an non rebelles? Nec quidquam magis obfuit læsæ Regiæ & Imperiali Majestati, quàm mora; & diu frustra expectata facti pœnitentia. Illud verò est longe facetissimum:

quòd Proditores Patriæ, nulla vrgente necessitate, suaserint Matthiæ, vt in Bohemiam militem induceret.

Armati Vos eratis contra Regem vestrum, susque deque Regnum verteratis, & dabatis interea Regi tantum verba: dum vos majoribus præsidijs firmaretis. & tamen nulla vrgebat Regem necessitas, cur obviam iret conatibus seditiosis? Et quorsum infaustum nomen proditorum toties ijs affingitis, qui nihilo vobis pejores, atque hoc etiam meliores, quod juramenti sui memores, maluerunt cum bonorum omnium jactura grave exilium sustinere (ac etiamnum sustinent) quàm communicare operibus infidelitatis ac perduellionis? Facessant igitur contumeliæ; & ratione, si qua subest, res agatur.

Sed fortasse, quæ post Matthiæ Augusti mortem felicissimæ recordationis, FERDINANDVS patravit, (quod est alterum probationum caput) quando non amplius excusari per Matthiæ mandata potest: talia sunt, propter quæ meritò hostis Patriæ declaretur? Ea verò sunt farinæ ejusdem: immò ridicula.

I. Quòd exercitum Matthiæ juramento sibi obstrinxerit. At cuinam alteri oportuit? scilicet dimittendus fuit: & FERDINANDVS Bohemis in manus tradendus. Quem & comprehendere postea bis conati sunt, inglorio non minus ausu, quàm eventu.

II. Auxit Exercitum auxilijs Hispanicis. Malè id eos habet: quia sperassent alioqui, Regem FERDINANDVM Viennæ cinctum in casses suas pertrahere.

III. Exaggeratur sævitia militum, quasi Rege auctore omnia perpetraverint. Quicunque FERDINANDVM novit, quamvis inimicus, detestabitur calumniam. nihil illo Clemétius! nemo à cæde, strage, vastatione, quàm ipse alienior! Sed præstare Rex damna non potest: quæcunque per insolentiam militarem fiunt. & quando non aliqua ejusmodi in bello fiunt? & an idcircò non verebuntur subditi, Regem suum pro hoste habere; & palam

Scri-

Scriptis editis proclamare, immò exauctorare? ô tempora! ô mores!

IV. Rursum in Proditores declamatur; & quòd vivere sinantur, Rex ipse proditor est. Homines fideles, extrema passi causâ Regis, nec excipiendi hospitio ab illo fuerunt. quid ita? sunt proditores. Regem sanè illi non prodiderunt. At Patriam? an quia illam reliquerunt: quam, salva fide, incolere non poterant? Agunt pro vendicanda ex manibus rebellium, & sub Obedientiam sui Regis revocanda. Hoc si crimen est, si proditio: quæ erit dicenda fides? quæ justitia?

Tertia Criminatio. Est persecutor Evangelij. Nam, cùm dixissent in tertia Causa: FERDINANDVM seipsum declarasse hostem: subijciunt: Idque eo fine potissimum, vt Christianam Evangelicam Religionem in ijsdem Provincijs eradicare posset. Non est hoc loco nobis disputandum: quænam verè sit Christiana Evangelica Religio: sed demus ea cognomenta ijs, qui ita insigniri volunt, vt honesta compellatione ab Ecclesiæ Catholicæ filijs discernantur. Quanquam velim ex te scire, O Bohemia, quam tu Evangelicam voces Religionem? Haud dubie, quam typis excusam Novo tuo obtulisti, Bohemicam Confessionem. Atqui ille longè aliam tibi obtrudit, penitusque contrariam. Cedo igitur: pro quanam pugnas? quam tibi sartam tectam cupis? Sed ad rem. Evangelicæ Religionis persecutorem esse FERDINANDVM assèverant; proindeque regno indignum.

Principiò: FERDINANDVS non potuit hactenus persequi Evangelicos in Regno Bohemiæ. At fecisset, si licuisset. DEVS certè ex illis, quæ facturus homo fuisset, neminem damnat: sed ex eis tantum, quæ fecit. nunc autem reus agitur FERDINANDVS, & persecutor pronuntiatur: quia facturus fuisset. Sed demus etiam istud, reijci potuisse, quia persecuturus erat Evangelicos: negamus autem, id facturum fuisse. Nam à decessu

Matthiæ Augusti paratum se statim exhibuit confirmare literas Majestatis per omnia: ejusque rei publicæ extant Testificationes. At, non fuit eis fides adhibenda: mentitus est. Appello Monarchas, quotquot sunt: Itane Regia dictorum, pactorumque fides impunè proscindetur? At, ex Styria adjunctisque Provincijs ablegavit Evangelicos Præcones, jam tunc Iuvenis. Fecit: quia non se obstrinxerat in sua Inauguratione ad eos retinendos: imò disertè exceperat: quia Provincias hæreditarias noluerat nova hac obligatione esse obstrictas; sed, vt olim, liberas. Videbat etiam: reliquos Imperij Principes arbitratu suo Religionem propinare subditis: nec se pejoris conditionis existimabat: vel etiam erat. Quando autem Bohemis Evangelicis promittebat sarta tecta, quæ priores concessissent: nihil erat, quod vererentur: nunquam enim promisisset: quod præstare, in animo non haberet. Quod vero attinet ad illius Zelum, quem pro Orthodoxa & antiqua Fide gerit: nihil est, quod reprehendi jure possit. Nam & Paulus, cùm apud Agrippam Regem perorasset; & Rex eludens dixisset: In modico suades, me Christianum fieri: Paulus subjunxit: Opto apud DEVM, & in modico, & in magno: non tantum te, sed etiam omnes, qui audiunt, hodie fieri tales, qualis ego sum: exceptis his vinculis. Nam constrictus causam dicebat. Ita FERDINANDVS, & in modico, & in magno optat, vos omnes esse tales, qualis est ipse, Catholicæ nimirum Ecclesiæ filios: cujus & fuere Majores vestri, ex quo cœperunt esse Christiani. Nam Sanctus Methudius vester Apostolus, sub auspicio & obedientia Pontificis Romani prædicavit vobis Evangelium, quod accepistis ab initio, & in quo vtinam staretis! Verùm, vt maximè cupivisset FERDINANDVS, tales vos esse: non ideò vel datam semel fidem fefellisset, vel attulisset vim: quali nunc nova Electi auspicia consecrantur, à demolitione sacrarum Imaginum, ipsius etiam Christi Salvatoris nostri; ab effossione Sanctorum cinerum, à direptione Eccle-

siarum; ab occupatione bonorum Ecclesiæ; à contemptu omnis pietatis. Quòd si talia in Evangelicos FERDINANDVS perpetrasset: vix etiam tunc de illo acerbius pronuntiare potuissetis: quàm nunc pronunciatis. Hoc verò est persequi Religionem; atque in Regnum non vsque adeò hactenus depravatum, excidium omnis Religionis inferre. Et pateris adhuc Bohemia? Decepta es, & sub specioso Calicis obtentu, propinatum tibi est genus omne perfidiæ. Ingemiscis haud dubie: sed premeris. Neque hic malorum finis. Veniet tempus, nisi expergiscaris, vt super te, Praga, lugubre illud occinatur. Quomodo sedet sola Civitas plena populo? Viæ Sion lugent: eo quod non sint, qui veniant ad Solennitatem. Omnes portæ ejus destructæ. Sacerdotes ejus gementes. Virgines ejus squalidæ: & ipsa oppressa est amaritudine. Verùm in hæc nos dolor abripuit.

Et, nunquid propterea FERDINANDVM, tanquam adversarium tuæ Religionis abjecisti: vt illius planè Eversorem tuis cervicibus imponeres? Perfidiáne erga legitimum tuum Principem mercanda tibi fuit tuæmet, atque omnis Religionis abolitio?

Quarta Criminatio. Est Eversor Regni Libertatis. Pergunt enim dicere in tertia Causa: *Vt Status Regni, & incorporatarum Provinciarum libera Regis electione exuere posset.* Nemo exuitur veste, quam non habet. at, quod modò prætendunt aliqui ex Statibus (non Regnum ipsum) liberæ jus Electionis: habuerunt nunquam. Consule dicta ad primam Causam.

Quinta Criminatio. Est Oppressor Regni: Voluit, inquiunt, sub jugum Hispanicum mittere. Immò contrà: avertit, ne Hispanus (quamvis alioqui Austriacus) quod prætendebat, jure potiretur. Et sperandum tibi est, Bohemia: ex hac felici Stirpe, in multa secula nunquam fortunata Germina defutura.

FINIS.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE